

# In obitum incompa-

rabilis M A R G A R I T AE, Illustrissime  
Nauarrorū Reginæ, Oratio-funebris, per  
C A R O L V M S A N C T O M A R  
T H A N V M, eiusdē Reginæ (dum illa  
viueret) apud Aléconienses Cōfiliariū, &  
Supplicum libellorum magistrum.

Accessere  
Eruditorum aliquot virorum, eiusdem Re  
ginæ Epitaphia.




P A R I S I I S.

Ex officina Reginaldi Calderij,  
& Claudij eius filij.

M. D. L.

C. Sanctomarthanus,  
lectori candido. S.



**T**Am corrupti sunt nostri  
tēporis mores, Lector op-  
time, vt erudit̄ omnes ac  
boni viri, suas vigilias in  
apertum emittere non au-  
deant. Sunt enim nō pau-  
ci, quorum alij ingenio certē ac doctrina  
pr̄stant: set cæca quadam philautia labo-  
rantes, nihil iudicant posteritate dignum,  
quod non ipsi scripserint: alij, tametsi nec  
iudicio valeant, nec sint melioribus discipli-  
nis exculti, temerē tamen aduersus omniū  
hominum scripta pronuntiant. Qui malūt  
Ciceronianos se, quām Christianos esse,  
quidquid nō accedit ad Ciceronis eloquē-  
tiam, respuunt: neque interim vllam habēt  
rationem reconditionis doctrinæ, quæ satis  
confirmat, Scriptorem, non esse ex nume-  
ro Cicadarum, aures solum oblectantium.  
Philosophi, qui sibi arcem veræ eruditio-  
nis occupasse videntur, ieunias omnes &  
aridas scriptiones appellant, quæ de Philo-  
sophia non tractant. Athei, rident omnia:  
quum

3

quum sint ipsi omnium maximè ridiculi.  
Sycophantæ, omnia rapiunt in calumniā.  
Poetæ, proscindunt omnia. In summa, su-  
mus propè omnes in tot sententias & opi-  
niones distracti, vt nondum satis mihi cō-  
stet, debeamus ne, cum Democrito insani-  
am ridere nostrā, an cum Heraclito nostrā  
ipsorum miseriā flere, qui vix possumus  
vmbram nostram ferre. Ego sanè, Lector  
candide, non expecto aliud de hac funebri  
Laudatione iudicium, quām quod indies  
sigulos, de scriptis eruditissimis fieri video.  
Ciceroniani, dictionem Iurisconsulti ho-  
minis fastidient. Rethores, è sua schola o-  
rationem ejcident, quæ orationis partes nō  
habeat, & à Rhetoricis præceptionibus re-  
cedat. Tot digressiones damnabunt: tot  
autorum nomina orationi inserta esse im-  
probabunt: tot denique ex historijs sūpta  
exempla, tanquam superuacanea rejcent.  
Interim verò non expendent, de industria  
id me fecisse: qui potius historiam scribere  
vellem, quām Orationem. Atqui non erat  
orationis titulo emittenda, nisi dignitas  
orationis seruaretur. Sit ita. Tu igitur cum  
Cicerone, ac Quintilio, voça Laudatio-  
aij nem

nem. Set non ego certè in hoc scripseram,  
vt ederetur: verùm vt à me Aléconij pro-  
nuntiaretur, si Reginæ nostræ funebris pō  
pa celebrata fuisset. Quod quum tam diu  
differri viderent amici omnes mei, quibus  
mecum iactura quam feci, communis est:  
suo iure à me impetrarunt, vt in apertum  
illa prodiret. Audio P E T R V M P A S-  
C H A L I V M virum eruditissimum, &  
mihi aliquando Auenione cognitum, sta-  
tuisse, Reginæ vitam literis mādere. Quod  
si semel tētarit, quām id ille feliciter perfici-  
et, vel ex sola oratione quam in obitum  
Maulij scripsit, iudicare poteris. Nimis ego  
difficiles esse Ciceronianos dicam, si P A S  
C H A L I I tam pura tāmque tersa dictio,  
palato illorum grata non sit. Vale. Da-  
tum Alenconij, Idibus Martijs. 1550.

# In obitū Reginę Na uarræ,funebris Oratio.



R A E C L A R E profectò  
 ac sapienter à maioribus  
 nostris institutum fuit, Vi-  
 ri Alenconienses, vt qui re-  
 rum gestarū gloria nomen  
 suum illustrassent, atque e-  
 gregiū aliquod & nobile virtutis specimē  
 exhibuissēt, laudibus in cœlum veherētur.  
 Nihil enim tam æquum est, quām virtuti  
 suam mercedem, nimirum honorem, re-  
 pendī: vitium autem, velut inglorium ac  
 despicabile, à probis omnibus & cordatis  
 viris explodi ac rejci. Ex hoc fonte mana-  
 runt, proposita heroicis & augustioribus  
 factis præmia, coronæ, triumphi, templa,  
 trophya, statuæ, magistratus, dignitates, ac  
 honores denique cumulatissimi. Neque ve-  
 rò tam arctis finibus laudabilis illa consti-  
 tutio contineri potuit, vt talia solis viuis  
 decernerentur : quinimo ad eos quoque  
 pertransiuit, qui vita functi, sic sese in hoc  
 a iij seculo

seculo gesserant, vt & superstitibus, & illo-  
rum posteris, virtutum exemplaria, tan-  
quam ad benè beatéque viuéum calcaria,  
reliquissét. Ea sanè vel præcipua ratio fuit,  
quæ Athenienses perpulit, ad eos quotánis  
publica concione, magnis laudibus orná-  
dos, qui pro patria occubuerát. Qué morē  
cæteræ quoque Græciæ nationes adeò reli-  
giose obseruabant, vt consueuissent defun-  
ctorum laudes, solenni oratione, ac longè  
petito procœmio prosequi. Tadé verò à Græ-  
cis ad Romanos præclarum illud institutū  
defluxit: vt optimates, & natu maiores, vel  
qui mortuos proximiore necessitudinis ac  
sanguinis gradu attingebant, funebri ora-  
tione, ipsorum cùm facta tum dicta, atque  
adeò totius vitæ illorum cursum recense-  
rent. Neque verò Græcis tantum ac Ro-  
manis laudabile visum est, clarorum homi-  
num, qui è viuis excesserant, vitâ & laudes  
prædicare: set apud Indos etiam mos ille  
inuauit. Nam solebant illi, Magistratum  
creare, cui hoc munus incumberet, vt pro  
foribus domus demortui, non solū laudes  
ac præclara ipsius facinora recitaret: verùm  
etiam, mores eius omneis ad viuum depin-  
geret:

geret: atque si quid in illius vita dictū factū  
ve foret, quod illaudabile ac fugiēdū esset,  
id apertè proloqueretur: vt qui audiebant,  
quæ sequēda erāt, sequerētur: quæ verò fugi-  
enda, quoad eius fieri posset, à sese amolirē-  
tur. Laudabāt & AEgyptij, cuiuscūque sortis  
& cōditionis mortuos homines: set nulla ta-  
mē facta rerū externarū, vt opū ac fortuna-  
rū, mētione, solā in illis pietatē, fidem, iusti-  
tiā, & religionē cōmēdabāt. In Regibus au-  
tē ac Principibus viris celebrādis, lōgē pro-  
fectō diligētiorē seueriorēmque operā na-  
uabant. Nam illis iusta prius nō soluebāt,  
quām Sacerdos, qui proximam à Rege di-  
gnitatem tenebat, omnem seriem vitæ ip-  
orum, longē antè ab initio repetiuisset: vt  
si virtutes vitia superassent, & sua claritate,  
vitæ nubila dispulissent, vnguentis perūcti,  
ac magnifico sepulchro conditi, omni lau-  
dum genere aspergerentur. Si autem vitia  
tātas tenebras Regio splendori offudissēt,  
vt discuti nequirent, ac virtutes & nume-  
ro & magnitudine vicissent, funeris hono-  
re priuarentur: atque insepulchorum no-  
minibus perpetuæ infamiæ nota inurere-  
tur. Vtinam, Viri Alenconienses, mos ille  
nostro

§ IN OBITVM REG. NAVAR.

nostro seculo sic obseruaretur, vt, qui defunctorum encomiastas agunt, ea veritate vitam ipsorum explicarent, vt partim quo runderam fauorem & gratiā, partim popularem gloriam, omnibus machinamentis non aucepantur: laudēisque mortui, diutina præmeditatione pertractantes, ex virtijs virtutes non facerent. Id si ita esset, complures profecto reperirentur, quos si diuini numinis timor ab illicitis quæ admittunt, non reuocaret, illos tamen vel gloriæ amor in officio contineret: vel me tus infamiæ, in vitiorum præcipitia ruenentes retardaret. Non potest igitur satis dignè laudari, honorandorum mortuorum institutum, quo (vt apud Platonem docet Aspasia) pro meritis optimi qui que extolluntur: superstites monentur: filij ac fratres, ad imitationem virtutis ipsorum extimulātur: parentes autem (si qui super sunt) cū ingenti animi voluptate, magnā consolationem sentiunt. Id Cicero confirmans, mortuorum vitam, in memoriam viuorum esse positam scribit. Leges quoque duodecim tabularum, fructum hunc subodoratæ, sumptus quidem ac luctum,

à

à Deorum Manium iure remouerūt: atque  
sepulchrorum magnificentiam minuendā  
censuerunt: sed, nē honoratorum vīrorū  
laudes, in concione memorarentur, haud= .  
quaquam prohibuerūt. Quæ quidē omnia,  
eò à me, viri Alenconienses, dicta sunt, vt  
ijs responsum sit, qui funebres orationes,  
propterea damnandas ac suppressendas es-  
se clamitant, quòd exquisitissimis & perni-  
ciosissimis adulatio[n]ibus viam aperire vi-  
dentur: sūntque huiusmodi laudes, surdis  
mortuis planè inutiles: atque, vt simul of-  
tendam, nos iure gloriari posse, in hunc  
nos hodie locum non conuenisse, nisi ho-  
nestissima & laudatissima occasione coac-  
tos. Me siquidem, cui oblatum est, vberri-  
mum sanè, at tristissimum tamen orati-  
onis argumentum: vos autem, vt laudes il-  
lius audiatis, quæ à quantumuis vberrima  
dicēdi facultate, satis dignè laudari nō po-  
test. Illa, illa est M A R G A R I T A, Frā-  
cisci, quondam Regis nostri, soror vnica: il-  
la M A R G A R I T A, Nauarrorum Re-  
gina: illa M A R G A R I T A, vestra, viri  
Aléconienses, Dux & Princeps: illa, inquā,  
M A R G A R I T A, fœmina incōpara-  
bili[s].

## 10 IN OBITVM. REGIN. NAVAR.

bilis, quæ nihil habuit in hoc seculo, nisi corpus, cum reliquis mortalibus cōmune. Quod certē quū dico, non vereor, ne reus siam violatæ duodecim tabularum legis, qua cauebatur, ne in mortuorum epulis, quidquam præter veritatem, de mortui laude diceretur. Me autem, & nunc vera dicere, & posthac vera dicturum esse omnia, nō modo Gallia nostra locupletissimè testabitur: sed Germania etiam, sed Anglia, sed Italia: atque adeò quantumuis Barbaræ, & à nobis remotæ totius orbis nationes: apud quas, fama M A R G A R I T A E illius, Nauarrorum Reginę, disseminata fuit.

Quod si quis dixerit, pulchrum ac laudabile quidem esse, mortuorum laudes prædicare: verūm, tametsi M A R G A R I T A omni laude maior videatur, nō debet tamē publicè illam honorari: quū solis viris, talia Maiores nostri decernēda putarint. Acutè id quidem & verè: nisi proditū esset historiarum monumentis, Romanas Matronas, quoniam Camilli tempore, ærarij angustiam suis ornamenti subleuauerāt, sua liberalitate consecutas fuisse, vt Se natus consulto decerneretur, illarum, sicut virorū

## FVNEBRIS ORATIO.

ii

virorum laudes, in funere memorari. Nos  
eam dicemus in eo numero cooptandam  
non esse, quæ, non solum suos, nimirū Gal-  
los, set etiam cuiuscunque nationis homi-  
nes, omni humanitatis ac largitatis genere,  
sibi obnoxios fecit? Quod si licuerit Cras-  
so, Popiliam matrem, si Iulio Cæsari, defuc-  
tam vxorem, in cōcionē laudare: nobis nō  
licebit M A R G A R I T A M, Nauarro-  
rum Reginam, illis, omnibus modis longè  
superiorem, simili oratione celebrare? Ne-  
que verò me ab hoc instituto reuocabit,  
quòd olim non esset permisum, de mortui  
laude dicere, ab alio, nisi qui publicè ad eā  
rem constitutus esset. Nam quod apud In-  
dos, magistratui huic muneri destinato, cō-  
cessum fuit: atque apud Romanos, necessa-  
rijs mortui honoratioribus, id ego mihi  
meo iure vendicabo. Si enim virtutē præ-  
dicare ac amplecti: si laudatis viris suū ho-  
norem tribuere: si denique, quod honestū  
per se est, & loqui & facere, omnibus sine vī  
lo discrimine conceditur, quamobrem mi-  
hi non licebit, virtutes tam illustris Regis  
næ recitare: & rem tam honestam, tam que  
laudabilem pertractare? His accedit, quòd,  
b ij nisi

nisi grati animi testificationem exhibere,  
vitio verti debeat, nemo me sanè(nisi sit  
iniquus iudex) temeritatis reum pronuntia-  
bit, quòd studeam laudibus illam exorna-  
re, quæ me, tot ac tam magnis, & honori-  
bus & beneficijs cumulauit, vt ei, mea pror-  
sus omnia, & me denique totum deberem.  
Set quid hīc mihi suggesterit animi impetus?  
quid cogito? quid dico? velle me illam lau-  
dare, in cuius virtutibus pro dignitate expri-  
mendis, Homerica vbertas sterileceret: ex-  
hauriretur torrens Demosthenis: extingue-  
retur Tullianæ eloquētiæ lumen! Ego ve-  
rò id præstabo? qui nullis abūdo sonātibus  
verbis, nullis vberibus sentētijs, quibus elo-  
quentia continetur: quique ab humaniorū  
disciplinarum complexu, annos fermè vi-  
ginti distractus, nullā habeo, neque inge-  
nij, neque orationis facultatē: qui, denique,  
omnium, quos M A R G A R I T A or-  
dini suo adscriperat, sum infatissimus. Ego,  
inquam, indignitatis propriæ conscius, ad-  
moliar manū, virtutibus M A R G A R I-  
T A E celebrandis! O facinus vehemēter  
audax & improbum. Satius est itaque, con-  
tractis yelis, ab instituto cursu desistere: at-  
que

FVNEBRIS ORATIO. 13

que hanc prouinciam illis relinquere, qui melius poterunt huius negocij maiestati respondere. Set iam ego, gestu vestro, viri Alenconenses, vti pergam propellor: ac se tio animum meum, vestra attentione ita confirmari, vt reluctari amplius vestræ autoritati non debeam. Promittit enim mihi, vestra illa summa & singularis obseruatio, qua M A R G A R I T A M semper coluistis, laudes vos ac vitam ipsius, à quo cunque recitentur, lubentissimè audituros. Quare, quum vos videam ad audiendum paratos, Platonis doctrinam fecutus, dicā primum, de M A R G A R I T A E maioribus, deinde de ipsius educatione ac disciplina, postremò de moribus eius & vita, quam tam feliciter in choro virtutum trās egit, vt absolutiorem fœminam, nulla vna quā ætas nouerit. Set si nos à Maioribus M A R G A R I T A M cōmendare incipiamus, non deerunt, qui dicant, à generis nobilitate sumptam huiusmodi commendationem, frigidam quidem ac ieunā esse: præsertim, quoniam maiorum nostrorum memoria, non pauci, hoc nomine vel ma-

ximè gloriari potuerint, qui tamen, gen-  
ris sui splendori maximas tenebras offude-  
rūt. Rectè profectò Euripides, & verè, quū  
scribit, nobilem esse illū, qui bonus ac ius-  
tus est: iniustum enim, etiam si fuerit meli-  
ore parente prognatus, quām ipse Iupi-  
tter sit, ignobilem tamen esse. Neque infi-  
cias ibo, M A R G A R I T A M, si de san-  
guinis nobilitate interrogata fuisset, respō-  
suram cum Phalaride fuisse, nullam se no-  
bilitatem, præter virtutē agnoscere: reliqua  
verò cuncta, Fortunæ tribuere. Set, quum  
idem Euripides, alio loco dicat, egregiam  
ac insignē esse inter homines notā, bona  
& antiqua stirpe nasci: non censet (vt opī-  
nor) generis nobilitatem, vltimo loco ha-  
bendam esse. Diuinus ille Homerus, si-  
gnificare volens, latentia quædam princi-  
pia, atque virtutis semina, liberis in genera-  
tione cōmunicari, Telemacho, Vlissis filio:  
In stillata, inquit, patris virtus tibi. Hanc ob-  
caussam, Plato in Alcibiade, meliores esse  
naturas putat in nobili genere, quā in igno-  
bili: ac benè progenitos, ita demum ad vir-  
tutem peruenire credit, si bene educantur.  
In Mecœnate illo, litterarū, ac eruditiorū  
hominum

hominū patrono, nihil puto sui temporis  
scriptores desiderare potuisse (erat is enim,  
virtute, prudentia, & morum integritate fa-  
tis nobilitatus) ab Ouidio tamen salutatur:  
Mecōnas, atauis regibus ortus eques: audi  
uitque Horatianū illud: Mecōnas, atauis  
edite regibus. Non erit itaque absurdum,  
M A R G A R I T A M celebrare, ab ea  
stirpe antiquissima & nobilissima, ex qua  
procreata, maiorum suorum stemmata, no-  
bilitatem, splendorem, sic suis virtutibus il-  
lustravit, vt, non solū illorum vestigijs in-  
hārere t: set etiam ipsos anteiret. Porro, vt  
perspectum sit omnibus, ex quām nobili  
stirpe pullularit, sciatis velim, Philippū Va-  
lesiū, eius nominis sextū, Iohannē genuisse:  
ex quo prognatus, Carolus quintus: vnde  
prodijt Carolus sextus: & ab eo progenitus  
Carolus septimus, qui genuit Ludouicum  
vndecimū: à quo Carolus octauus descēdit,  
Cūmque is, sine liberis ē mūdo decessisset,  
Ludouicum duodecimū, successorem ha-  
buit, Caroli, Ducis Aurelianensium, filium:  
cuius Pater, Ludouicus, Caroli quinti, cum  
Carolo sexto filius, simul cum eo filios ge-  
nuit, Iohannem & Philippum: illū Engo-  
b iiiij lismēsiū.

lis mensium: hunc, Virtutum Comitem. Ex Ioháne auté prognatus Carolus ille, qui vxorem sibi adiúxit Loysiā Sabaudiēsem: ex quo matrimonio prodiere, M A R G A R I T A primū, deinde F R A N C I S C V S. Cæterūm, de rebus præclarè ac fortiter, ab illis omnibus & regibus & principibus, cū domi, in pace ac ocio, tum foris, in bello, ac publicis occupationibus gestis, tametsi locus hic aliquid ut dicamus postulare videatur: ne tamē nostra nimis euagetur oratio, sciētes tacebimus. Nam in promptu nobis sunt patriæ domesticæ que historiæ, quæ rerum illarum cupidis, affatim faciant satis.

Videtis, viri Alencon. quomodo, à primo ordine, ad parentes M A R G A R I T A E descendimus: vt iam nemini obscurum esse possit, eam, à Tritauis, Abauis, Auis, profluxisse: qui, non solum ex regia stirpe procedierunt: verum etiam imperium ac potestatem regiam adepti sunt. Quare, si vera est Simonidis opinio, quem ferunt, cuidam, quid esset Nobilitas interroganti, respondisse: quum quis maioribus longo tempore locupletibus natus est: aut Plutarchus audiendus est, qui nobilitatem adpellat, opes anti-

antiquas, ac veterem gloriam: quis negabit, MAR G A R I T A M, nobilitate sanguinis præstantissimam fuisse: nobilem, inquam, ingeminata ex parte matris, nobilitate? Deus bone, si gloriosi nostri téporis nobiles, possent ita maiorum suorum ordines numerare, quo retinaculo, illorum impetus contineretur, cōprimereturque? quis mortalium subsisteret? Ex porcarijs forsā, aut sartoribus & caligarijs, atque vilissimæ fortis homūcionibus prodiere: sūntque pri-  
mi, suæ gentis nobiles (iusto ac digno titulo scilicet) adeò tamē inflatis & tumētibus animis efferuntur, adeò omneis despiciunt, vt hominem, præ se neminem putent. Ve-  
rūm qui auita nobilitate clari sunt, veram certè nobilitatem referunt: habent enim, nescio quid genuinæ ac nativæ mansuetudinis, quæ facilè à pseudonobilium feritate secernitur. Ac, quemadmodū, si vas ali-  
quod cupreum auraueris, ad tempus quidē aurum mentietur: verūm, auratura tandem atteritur, ac nudum cuprum manet: si autē ex puro est auro, quo plus tuo vñi accom-  
modaris, hòc splendidius est: in hunc mo-  
dū, qui de nobilitate falso gloriantur, tan-

dem, ijs quibus cum versantur, ignobilitatem suam moribus retegunt: at verè nobiles, colloquio ac consuetudine, sese cùm dicto, tum factō, generosos esse testantur. Huius generis fuit M A R G A R I T A: quæ, quantum aliena esset ab insolētia omni ac fastu, & quām parum sese à nobilitate extulerit, spero me vobis hodie commonistratum. Quoniam autem regibus & principibus viris, non est prius de generis nobilitate gloriandum, quām eam cū animi nobilitate coniunxerint, vt menti illorū perpetuò infixum ēsse debeat, quod Euripides scribit: eam esse liberis gloriam pulcherrimam, si bonis ac nobilibus parētibus nati, moribus eos simillimis referant: quādoquidem (vt Pythagoras dicebat) altæ nobilitatis indicium, sunt mores: hic nostræ sūt partes, vobis perspicuè ostēdere, M A R G A R I T A M, sanguinis sui nobilitati sic respōdisse, vt nobilitate morū, genus exuperauerit. Quod vt dilucidius cognoscatis, cōmodū erit, de ipsius incunabulis & infātia, aliquid hoc loco dicere, Qūum itaque ex latebris materni vteri, in hunc mundum emersisset, tanta in infantis vultu mirificæ indolis

indolis signa adparuere, vt quicunque illá  
intuebatur, quasi diuino quodam augurio  
tactus, nescio quid de illa sibi promitteret,  
præter sortis humanæ cōditionē. Adride-  
bat infans omnibus: & nudata vbi erat, om-  
nibus manum præbebat: vt iā inde præsen-  
tibus fidem daret, se, humanitate, ac liberali-  
tate nemini cessuram. Porrò, vbi sacro fō-  
te abluenda fuit, inter Principes supremi  
gradus, qui frequētes inibi aderant, multū  
ac diu controuersū est, quod nomen Su-  
ceptores eius indere illi deberent. Potuiss-  
ent sanè, patriū morem secuti, à tot Ludo  
uicis ac Carolis, maioribus suis, (quæ apud  
nos, regia sunt nomina) Loysiam, aut Car-  
linam nuncupasse: verū, ita visum est su-  
peris, vt nomen fortiretur, quod rei futuræ  
responderet. Ridicula hæc fortassis, atque  
anilia plerisque videbūtur: propterea quod  
non est ita credibile, cœlestes curare, quænā  
mortalibus nomina dētūr: nā absurdū est,  
persuadere nobis velle, propria nomina,  
mysteriū aliquod tenere: quum magis pro  
Susceptorū arbitratu imponantur, quam vt  
aliquid religionis sub illis contineatūr ac  
lateat. Set, si diuino Platoni ctedendū pū-  
c ij tamūs,

tamus,tametsi s<sup>æ</sup>pè nomina à cognomenis maiorū sint indita, quæ tamen nō séper conueniant: s<sup>æ</sup>pe etiam ex voto ingeráatur, vt si quis optet filium,& Deum amare & à Deo amari, Theophilum nominet:nōnnulla tamen, diuiniore quadam poténtia quām humana,instituuntur:vt,non casu, set fato, sint imposita.Nam quū nomen(ut idē ille ait) tanquam pictura, ipsius rei imitatio ac instrumentum sit,quo rerum substatiæ docentur discernunturque,danda certè est opera nominum impositori, vt nomina rebus adplicet,quæ rebus ipsis,natura conueniant:quod quidem rectè facere,nec impetratorum, nec quorumlibet hominum, set potius diuinitatis est opus. Quòd si nominum obseruatio,religiosa apud veteres, ac mysterijs adumbrata non fuisset,certè Homerū tam enixè non laborasset,vt rebus nomina quadrarent: neque à laboris tolerantia,Agamemnonem:à ferina natura,Orestem: ab inexorabilitate, Atreum:ab infelicitate,Tātalū nominauisset.Set quid pergrina & ethnica exépla requirimus, quū habeamus in manu domestica, quæ id satisficent? & quæ, nemo (nisi extre-

mæ impietatis ac insaniæ) vel ridebit, vel impugnabit? Nam si dicamus, casu ac fortuito, non autem diuino decreto, seruatori generis humani, nomen I E S V, impositum fuisse: reclamabit Scriptura sancta, quæ testis est locuples, ab Angelo cœlitus ingestum, quod salutem populo suo esset adlaturus, Quāobrem, non est absurda Platonis opinio, præcipientis, ut rebus pulcherrimis, nomina quoque pulcherrima adsignentur. Quæ omnia quū ita constēt, iam nō dicar hallucinari, neque aniliter ineptire censebor, si credam, dispensatione diuini cōsiliij euenisse, ut M A R G A R I T A nomen acciperet, quo Deus opt. max. tanquam per extrarium aliquod instrumentum, significare voluit, quantis dotibus suam creaturam ornatus esset. Μαργαρίτης enim, preciosus est lapis, quem Plinius scribit, principium culmēque omniū rerum precijs tenere: ac dotem habere, in cādore, magnitudine, orbe, pondere: sunt enim ea, quæ tātam maiestatem illis adferunt, vt si qua reperiatur dotibus huiusmodi nobilitata, quoquo prelio coemi soleat. Ex quo fit, ut quū nos quid piām significare volumus, nō vulgaris pre-

cij esse, Margaritā adpellemus. Ac proīde  
quū aliud C H R I S T V S nō haberet,  
cui V E R B V M D E I cōuenientissimē  
conferret, Margaritam illud nuncupauit:  
quandoquidem (vt Augustinus ait) lucet  
cādore veritatis: solidum est æternitatis fir-  
mitate: ac vndique sui simile est, diuinitatis  
pulchritudine. Magno igitur æstimāda res  
erit, quæ cum Margarita comparari potest:  
quā proptereà Latini Vnionē dixere, quòd  
nulli duo indiscreti reperiantur. Galli quo-  
que, rem vnde cunque suis numeris absolu-  
tam, & quæ parem habere nō putatur, sua  
lingua Perlam nominant. Quāobrem, nō  
sine mysterio, M A R G A R I T A vo-  
canda fuit, quæ candida, pectoris ac vītē in-  
tegritate: magna, generis nobilitate, ac ma-  
iestate regia: rotunda, virtute, ac scriptis esse  
debebat: adeò, vt iure Vnio dicta sit, quæ  
post se, non erat similem relictura. Medi-  
ci, vires magnas Margaritis tribuūt: quas,  
quoniam nimis longum esset, nominatim  
non recensebimus: paucis tamen aliquot  
memorabimus. Margaritæ enim, cardiacæ,  
ac animi deliquio medentur: ac proinde,  
spiritus creduntur confirmare. Qui autem  
animo

animo magis deficiūt, quām, qui rebus aduersis agitati, portum non vident, in quem se recipere valeāt? Set futura erat M A R G A R I T A, diuinum instrumentū, quo, consolationis Deus, adflictos solatio adficeret. Margaritæ, mirum in modum conserunt aduersus humorem illum melanocholicum, ex quo non pauci valde noxij ac periculosi morbi contrahuntur. M A R G A R I T A, in hoc, à Domino, regia dignitate, autoritatis amplitudine, opū ac diuitiarū adfluentia, illustranda erat, vt pauperibus & egenis, anxia animi solicitudine fatigatis præstò adesset: ac suo ære ipsorū inopiā subleuaret. Margaritæ, neruis oculorū plurimum prodesse dicuntur: illorū humores exsiccare, fôrdes expellere, ac obscuratam visus aciē restituere. M A R G A R I T A, manus erat eius, qui è luto & stercore pauperes erigit: vt obscuro loco natos illustraret: atque ex infimæ fortis hominibus, plures ad summos honores erigeret & efferret, qui essent Principibus, à consilijs, à latere, ab auribus: ac rerumpublicarum gubernaculis præficerentur. Addam & illud, Margaritas, in mari quidē nasci, atque in mari  
 ciiij reperiri:

reperiri:esse tamen illis maiorem cœli societatem,quam maris.Sic,M A R G A R I T A, quanquā in mūdo versaretur,in hoc tamen à Domino seruata est, vt despectis quæ sunt mundi huius, in cœlum cogitationes animi omneis,omneisque affectus at tolleret.Porrò, non debent margaritæ impuris manibus contrectari, ne fordescant: nostra verò M A R G A R I T A,spurcis voluptatibus adsueta non fuit,vnde macularetur.Margaritas, non indiligéter seruare oportet,ne colorē mutēt: M A R G A R I T A nostra,indulgentia & educatione molli instituta nō fuit,quæ neruos illi omneis & corporis & animi frágeret.Ne margaritæ aceto infundantur, summa cautio adhibenda est,alioqui in tabem resolueretur:nostra M A R G A R I T A,non fuit asperis ac rigidis moribus imbuta:set pudicis quidem & humanis,at seueris tamen,ac planè regijs:qui educationem testarétur, nobilitatis expectationi respondere. Quæ omnia,vt vera esse cognoscatis, placet de ipsius educatione ac disciplina aliquid dicere. Credo ego vos,viri Aléconienſes,aut legiſſe apud Xenophōtem, aut ex aliorum sermon e

sermone audiuisse, Persas, in instituendis pueris religiosos extitisse: imò tetricos ad- eò ac rigidos fuisse, vt, quoties de formádis iuuenum moribus, præceptores desideran- tur, illico ad Persas recurramus. Consue- rant autem, pueros ad xvij. ætatis annum, temperantiam, continentiam, iustitiam, re- liquásque virtutes, docere: vt simul cū lac̄te, éam disciplinam imbiberent, quæ initio ta- les illos redderet, vt adolescentes facti, nul- lius vel improbitatis vel turpitudinis desi- derio tenerentur. Persarum ego institutū, vellem, viri Alenconienses, patribus ac ma- tribus nostris, sic esse religiosum & sacrosa- ctum, vt illorum leges ac mores secuti, ea disciplina pueros non instituerent, quā ipsi magno nostro malo, corruptissimā & rei- pub. perniciosissimam esse cognoscimus. Id si facerét, ex maliis ac prauis ingenijis, bona & recta: ex bonis autem, meliora efficerét. Etenim, educatio (vt Plato scribit) bona- que eruditio si seruetur, ingenia quoque bona reddit: ac rursus, bona ingenia, talem educationē consecuta, longè profectò me- liora, cum ad alia prorsus omnia, tum ad filios generados, euadunt. Diligentiam cu- d j rámque

rámque istam, Loysia Sabaudiésis, matronalis & prudentiæ & grauitatis speculū, in educatione filiæ suæ M A R G A R I T A E, adhibuit: vt Persam illam potius dixisses, Persica seueritate institutā, quàm Gallam, luxu Gallico dissolutam ac eneruatam. Regnabat tūc, Ludouicus duodecimus: neque adhuc indubitata spes erat, prolem Sabaudensem, posse tam citò ad regium gradū prouehi. Quūque Engolismésum Comes, facultates ac fortunas non possideret, sanguinis sui nobilitati respondentes: videbatur in hoc cōsilia & studia animi sui omnia, collocare debuisse, vt M A R G A R I T A E filiæ, summam dotem, & Francisco eius fratri, multas opes, ac tali familia dignas coaceruaret. Set princeps ille prudenterissimus, maluit filiorū suorū animis, quàm corporibus prouidere: nimirum, præcipuā curam rei nobiliori impēdens. Audiuerat enim illud Xenophontis: Eum qūi equos alit, ac illis multum pabuli exhibet: interī verò in bellica disciplina non exercet, obefos quidem equos habere: set rerum tamē, quas generofos equos p̄stare oportet, impe ritos. Ita, qui anxiè laborat, vt filios habeat diuitijs

diuitijs adfluentis, vt autem ipsorum animus, moribus optimis ac virtutibus excolatur exorneturque, negligunt: filios quidē habere, & prædiuites, & forsitan principes, at inutiles tamen: imò sæpe, & malos, & patriæ noxios. Quare quoad eius fieri potuit, curauit sagax ille Comes, filiam M A R G A R I T A M, ita institui, vt filios prīcipū informari debere, Philosophorum præceptis traditūm est. Cæterūm, quoniam in primis (vt Plato docet) danda est opera, vt optimus pueri informator deligatur: properea quod sicut infans, vt plurimūm, de matris lacte participat: ita, educatus, educatoris sui mores retinet, imbibit, ac tandem refert (cuius rei exemplum insigne, in Alessandro historiæ proponūt) Loysia mater, perspicax ac prouida, M A R G A R I T A E morum magistram dedit, selectissimam quidem matronam: & in quā, virtutes omnes certatim cōfluebant. Quod autem ad F R A N C I S C U M spectabat, nemo dubitat, quin pari quoque diligētia enutritus ac institutus fuerit: verūm, quia P E T R V S C A S T E L L A N V S, Matficonensium Episcopus, vir summo iudicio

dicio, sūmāque doctrina, luculēta & ornata oratione, de illius adolescētia, vita & gestis scripsit: ac post eum, vir doctissimus, PETRVS GALLANDIVS, bona- rūm literarum in Parisiensi academia regius professor, laudationem de re eadem eleganter ac doctè exaratam edidit, de sola M A R G A R I T A, in præsentia no- bis sermo erit. Matrona igitur illa nobilis, sibi creditam M A R G A R I T A M, non passa est voluptatibus dissolui: nō in luxū effundi: non ociosis & impudicis sermoni- bus pollui (quæ sunt hodie magnatum fer- mè omnium institutiones) sed illis artibus eam exercuit, quæ mentem ipsius, principe, ac futura Regina dignam efficerent. Adhi- biti quoque fuere domestici præceptores, lōgo rerum vſu docti, prudentes, ac doc- trina exculti: & qualeis in principum aulis, parasitorum ac morionum loco, Philoso- phi omnes requirunt: qui, modò ex prophâ- nis, modò ex sacris literis, exempla illi pro- ponebant, quæ imitaretur: nunc, præcepta quædam bene ac beatè viuendi recitabant, quibus, ad virtutem magis ac magis infla- maretur. Quoniā autem longo magnóque experi-

experimento didicimus, veram esse Plato =  
nis sententiam, tum demum respub. felices  
fore, quū in illis, vel Philosophi regnabūt,  
vel reges philosophabūt, de Philosophia  
apud eam sēper loquebātur: vt quū audiret,  
illud fugiendū, hoc sequendum esse, id ita  
fieri debere, in animo suo atque mēte impri  
meret: propterea quòd sic Philosophi cēsuis  
sēt. Ego verò viri Alécon. dū hēc dico, iā mi  
hi videor quosdā videre, nō homines, set pe  
cudes, qui rideat, M A R G A R I T A M  
præceptionibus philosophicis imbutam fu  
isse: quasi nihil sit imperio commercij cū  
Philosophia. Negare certè non possum, vt  
Sophistæ nomen olim honorabile, hodie,  
loquaculorum ac quæstiunculariorū culpa,  
odiosum est: ita, Philosophi cognomentū,  
regibus aliquando deliosum ac honorifi  
cum, esse nostris temporibus, & despicibile  
& inuisum: nō id quidem Philosophiæ cul  
pa: set illorum vitio, qui, quum ad Philo  
phiæ sacra, conspurcata mente accedant,  
Philosophiæ studio, non minus ad insaniā  
adiguntur, quām Tygres, musica modula  
tione in rabiem verti, probatū est. Set, qui  
probè perspectum habet, quos fructus secū

d iiij adfert

ad fert Philosophia, dicet sanè, necessariam esse illam, non priuatis solum hominibus, sed magistratibus etiam, atque adeò principibus: qui, tunc maximè Tyranni esse incipiunt, quum Philosophi esse desinunt. Nam ut Musonium legimus, cui dam Syriæ regi dixisse, Ad quem magis pertinet, homines conseruare: quid bonum illis aut malum, quid vtile aut inutile, quid commodū aut noxiū sit, diiudicare, quām ad Principēs? Set, quis talia probē discernet, nisi Philosophus: studet enim huic rei vnicè, vt, quid ad hominis vtilitatē spectet, percipiat. Cuius est, nisi Principis, subditos in officio contine: ac iustitiam ergà omneis exercere? Quid autem Iustitia sit, à quo fonte, nisi à Philosophorū præceptis hauriemus? Quis ad regni administrationē aptior erit, quā, qui suos adfectus ita temperabit, vt seipsū bene regere nouerit? quomodo enim recte alijs imperare poterit, qui sibi nequit impere rare? Ad Temperantiam autem, atque ad reliquas planè virtutes, quæ id docent, sola Philosophia viam aperit. Erít ne rex ad pellandus, qui Sardanapalico more, voluptatibus ac delitijs molliter indulget: an potius qui

qui fortis est,magnanimus & inuictus? At-  
qui,Philosophia fortitudinem docet: at-  
que ostendit,in voluptatis regno virtutem  
non posse consistere.Regem adpellabis il-  
lum, qui,n eque leges subditis præscribere,  
neque legibus parere nouit? Illud ipsū sola  
præstat Philosophia: atque ob id,Regē no-  
minat,legis animam:quòd Rex,legibus re-  
gnum suū stabilire debeat: ac simul, Regē  
facit optimarum legum conditorem.Hæc  
omnia si Principes expenderent,profectò,  
non ita Philosophos adspernarētur,set Phi-  
losophiæ studerent:quæ,quum nihil sit ali-  
ud,quàm, boni honesti que studium exer-  
cere,perspicuum est,omnibus illam, & sum-  
matibus & infimatibus, & medioxymis in  
primis frugiferam esse:nūllis tamen magis  
esse necessariam,quàm Principibus.,Quod  
quum prudentes illi viri considerarent,qui  
M A R G A R I T A E,præcepta institu-  
tāque Philosophiæ inculcabant, maluerūt  
equidem, illā verè principē reddere, quàm  
docendo quæ dediscenda essent, eius ani-  
mum venenosis disciplinis inficere.Neque  
verò existimandum est,quum de Philo-  
phia loquimur,de illa nos solū dicere, quæ

ex Platonis, atque aliorū Philosophorum scriptis discitur: set de Philosophia etiam Euangelica, intelligimus: nempe de V E R B O D E I: cuius sanctissimis certissimisque præceptis, sic ab eis instructa & præmunita fuit M A R G A R I T A, vt, vixdū annos quindecim nata esset, quum Spiritus ille diuinus, qui totum eius animū occupauerat, cœpit in ipsis oculis, ipsoque vultu relucere: ac sese incessu, gestu, sermone, & vndique prodere. Quūmque iij, quos in sui admirationē pertraxerat, virtutes ipsius, passim & apud quosuis effuderet, illico rumor ad C A R O L V M, nunc Imperatorem, tūnc verò Hispaniarū regem, perlatus est, in aula Regis Galliarum, principem filiam esse, forma & specie liberalissima: quæ virutibus, tanquā fulgore quodā, coruscaret.

Hac fama C A R O L V S permotus, amore virginis nunquam sibi visæ, flagrare cœpit: ac per Legatos, eius nuptias petiuit. Verūm, non placuit numini, animos paratum M A R G A R I T A E moderati, vt Gallia suo vnione priuaretur: set ei despōsa fuit, cui ab æterno destinata erat: nempe C A R O L O, vestro, viri Alenconiēs,  
Duci:

Duci:Principum quos hic sol vidit vnquā,  
prudētissimo, modestissimo, liberalissimo;  
& Imperatori Carolo, genere non post po-  
nendo.Id autem verum esse,liquidō cōsta-  
bit, si genealogiam eius recenseri patami-  
ni: non vt exordium sumamus à summō ca-  
pite, set ab ijs dūtaxat, quorū memoria cele-  
berrima pariter & apud vos gratiosissima  
est: nempe à C A R O L O Valesiorum  
Duce, & Alenconiorum Comite: ex quo  
proditus, C A R O L V S, qui in bello  
Crecyaco cecidit:à quo satus P E T R V S:  
& ab eo I O H A N N E S progenitus:  
cui successit I O H A N N E S, eiusdē no-  
minis secundus:ex quo R E N A T V S:&  
à Renato, postremus omniū proditus est  
C A R O L V S, M A R G A R I T A E  
maritus,& frater illustrissimæ F R A N C I S  
C A E, Bellomōtanorū Ducis:q, īter Prīci-  
pes,sic partes tuetur suas,vt eius virtutes exi-  
miæ, occasionē Galliæ nostræ dederit, gra-  
uiter cū Natura expostulādi, quòd eā virū  
nō formauit. Set illa, expostulationis an-  
sam præripuit,quum ita Galliæ fauit, vt ex  
F R A N C I S C A A L E N C O N I A,  
tanquā ex equo Troiano, tot Principes  
e j prodi-

prodierunt, in quorum virtutibus & gloriā, Gallorum spes omnes defixa sunt. Porro, Principes illi omnes, Caroli & Francicæ maiores, genus duxerunt ex splendissimæ ac antiquissimæ nobilitatis Rege Ludouico, quem Romana Ecclesia in diuorū numerū cooptauit: & cuius filius erat PHILIPPVS ille, à quo Carolus progenitus fuit. Quū autē MARGARITA ex hoc matrimonio liberos nō sustulisset: at quē præmatura morte, vobis, viri Aléconiēses, Dux vester fato sublatus esset, Deo opt. max. placuit, vt semētis aliqua frugis tā pretiosæ, mūdo reliqueretur, MARGARI-TAM, iterum, optimo, sapiētissimo & virute omni ornatissimo Nauarrorum Regi HENRICO, maritali vículo copulare: vnde nati, IOHANNES Princeps Nauarræ, quē nobis adhuc infantē, Parcē inuidētes abstulere: & IOHANNA, vxor clarissimi illius ANTÖNIVI docinorū Ducis: cuius admirabiles virtutes, Galliā in sui amorē & obseruatiā sic deflexerunt, vt Prīcipes, nobiles, plebeij, summates, infimates, atque in vniuersū prorsus omnes, audito Ducis Vindocinorum & fratrum eius nomine,

mox

mox illis salutem,& prospera omnia, arden-  
tibus votis precentur. O verendā Dei pro-  
uidentiam: quæ de I O H A N N A E sta-  
tu tam feliciter disposuit, vt nobilissima no-  
bilissimo, prudētissima prudētissimo, nexus  
indissolubili iungeretur: atque in eam ipsā  
stirpem insita aliquādo esset, vnde M A R =  
G A R I T A pullulauerat. Habetis, viri A-  
lenconenses, quibus parentibus sata fuerit;  
M A R G A R I T A, quomodo educata,  
quibus in matrimoniuū collocata: quid nūc  
vltrā ex pectatis? nōne vt illius gesta dictā-  
que omnia virtutis plena, singulatim recē-  
seam? Nescio certè, an quispiam sit morta-  
lium adeò sibi suffenus, vt se se id præstare  
posse glorietur: verūm, quod ad me adti-  
net, illud non tentabo, quod qui adgredie-  
tur, perinde facere mihi videbitur, ac si radi-  
os Solis omnes, singulos numerare conten-  
det. Hoc tantum dicam: nulla extare, à Pla-  
tonē, ab Isocrate, ab Aristotele, à Xenophō  
te, ac alijs Regū pæceptoribus, veri Prīcipis  
officia p̄scripta, quæ M A R G A R I T A  
ad amissim nōn perfecerit. Est ne vestrūm  
aliquis, qui me putet adulanter magis, quā  
verè dicere? Quod ad Germanos, ad Italos,

eij ad

ad Venetos, ad Anglos, ad Hispanos, ad exter-  
tas denique orbis nationes pertinet, non  
vereor equidem, ne mendacij me reū agāt:  
quorū Legati, ad F R A N C I S C V M mis-  
si, fidem facere possunt, nullū esse pietatis,  
humanitatis, candoris atque officij genus,  
quod erga illos omneis, M A R G A R I-  
T A liberaliter non exercuerit: vt eius fauo-  
re, semper sint consecuti, vt quæ in manda-  
tis habebant, & liberè, & quū vellēt, dicerēt.  
Tu quoque, C A R O L E Cæsar, testis vo-  
catus, certos facere nos poteris, fuerit ne  
M A R G A R I T A, fœminarum omniū,  
quas vñquā nouisti, & sagacissima, & mo-  
dis omnibns absolutissima: cuius tu prudē-  
tiam in rebus deliberandis, constantiam in  
persequendis, celeritatem in perficiendis,  
modestiam in confectis, ita explorasti, vt,  
(quo es in æstimandis hominum ingenij  
iudicio) palam confessus fueris, illam, pro-  
digium tibi Naturæ aliquod magis videri,  
quam fœminam. Fecisti, inquam, periculū,  
an eius præsentia, famæ responderet, quum  
te illa tunc tēporis inuisit, quādo F R A N-  
C I S C V M, suorum perfidia proditum,  
& à tuis in bello captum, quibuscunque ho-  
nestissi-

nestissimis pacis conditionibus propositis,  
ægrè dimisisti. Quid tu, C A R O L E,  
quid Principes tui, quid Hispani omnes, de  
M A R G A R I T A iudicabatis, quam vi-  
debatis tantum itineris emensā, vt, vel vin-  
Etum fratrem liberaret, vel cū vincēto, cap-  
tiua quoque ipsa, vitam perderet? Quam  
putas sentētiā ferret de tam heroico pe-  
ctore, si viueret, Plato, alienarum virtutum  
& laudum æquus æstimator? vtrum magis  
commendaret M A R G A R I T A E er-  
ga fratrem pietatem: an eius in patriā cha-  
ritatem? Memoriæ consecratæ sunt Phae-  
thontis sorores, quòd fratrem de cœlo de-  
turbatum, adeò insatiabili luctu defleue-  
rint, vt Deos credantur ad commiseratio-  
nem per pulisse. Laudantur & eam ob caus-  
sam, Antigone, Eteoclei soror: & Hyades,  
quæ, Hya fratre mortuo, animi mœstitudi-  
ne contabuerūt. Quid nos de M A R G A=  
R I T A statuemus? Vtrum præstantius est,  
absentem vel mortuum muliebriter flere:  
aut fortiter cohibitis compressisque lachry-  
mis, viuentem vbi erit sequi: mortuū vero,  
vt mortalem, non dolere? Laudem apud  
posteros consecuti sunt, Phrygius ille An-  
e iij churus,

IN OBITVM R E G. N A V A R.  
churus Mydæ filius: Spertius ac Bulis Lace-  
demonij: Decij, Curtij, Codrus Atheniēsis:  
propterea quòd, sua vita, patriæ salutem re-  
demerit. Vtrū ex illa tabula F R A N C I S #  
C V M expūngeſmus, qui prō fuorū liber-  
tate tuēda, ſeipſum periculo mortis exposu-  
it: ac eius fororē M A R G A R I T A M,  
quæ & patriam, & ſuos, & fortunas omnes  
deſeruit, vt fratrem ſuū Galliæ restitueret?  
Mirificis laudibus extollitur Regulus, quòd  
vt patriæ conſuleret, paſtam cum hoſtibus  
fidem feruauerit: apud quos tamen, ſibi pa-  
ratum eſſe acerbiflimum mortis genus, nō  
ignorabat: M A R G A R I T A M nō lau-  
dabimus, quæ nō eſt verita, libertatem vi-  
tāmque ſuam committere Principi victori,  
de cuius animo & voluntate, nondum fa-  
tis illi conſtabat? Perſeus, Andromedam  
marino monſtro expositam: Lucullus,  
Cottam Calchedone obſeffum: Balsacia,  
Calphurnium Crassum, immolationi de-  
ſtinatum, ex periculo omni & morte eripu-  
iſſe leguntur. His M A R G A R I T A M  
adiungamus oportet: cuius prudentia, L E =  
O N O R A E cum F R A N C I S C O  
initū coniugium fuit: ſine quo, Rex noſter,  
perpetuo

perpetuo carceris pædore emarcuisset: nec suis vnquā redditus fuisset. O Gallia, quā es M A R G A R I T A E obnoxia, quæ tuo Regi, talem Reginam quæsiuerat: quā nemo dissentiet, in illustrium fœminarū ordine, quæ suis virtutibūs nomē suum immortaliitatī cōsecrarunt, reponendā esse. Quod si aliud quoque raræ fortitudinis exemplū in M A R G A R I T A desideratis, domesticum vobis proponam: & cuius, vos, viri Alenconienſes, testes estis. Quid enim acerbius, quid tristius, quid durius, parentibus (præsertim matri) cōtingere potest, quām filijs suis orbari, filijs inquā vnicis? Si autē eos videamus, hoc mœstissimo nuncio nō solum non commoueri: verum etiam alios consolatione confirmare, qui ad ipsos consolandoſ accedunt: crudelēs ne illos & faxeos, an potius fortes ac magnanimos dicemus? Hoc nomine laudem sunt maximā cōsecuti, Anaxagoras, Bibulus, Antigonus. Rutilia, Symphorosa, Fœlicitas, Sophia: quos omnes, filiorū fata, à constātiæ folio, ne pedem quidem vnū dimouerūt. M A R G A R I T A autem nostra, amisko & pri-mogenito & vnicō filio, Principe Nauarræ,

in sterilitatis suspicionem venisset, non est tamen visa, vel animo consternari: vel suspiria, & acerbos gemitus eructare: vel in lachrymas prorumpere: imò verò neque animum præ se tulit mœstitia aliqua obnubilatum. Set ubi fœminæ pleraque ferme omnes, in tam tristi successu, Superos incusant, mortem deuouent, vanis questibus replēt omnia, & animo prorsus deiectæ, ac mortuis similes, stupefactæ iacēt: M AR G A R I T A, constanti & infracto pectori, filij mortem audiuit: atque pro fibilibus eiulationibus, quæ in mortuorum exequijs solent concini, lætum pæana cantari iussit: nimirum, canticum diuorum Au gustini & Ambrosij, quod in indiciū nouæ cuiusdā auspicatæque lētitiæ, populus iubilare solet. Insolitum id quidem, ac inauditū illis visum est, qui mortuos iniuriā accipere putant, si superstites pullati non incedunt, non discruciantur mœrore, non pulsant pectus, non euellunt crines, non currunt ad laqueum. Verùm audierat fortissima fœmina, scripsisse Euripidē, multis lachrymis excipiendos esse qui nascūtur, & in mūdum veniunt, tanquam malorū mare ingressos: mortuos

mortuos autem, cum ingenti lātitia efferēdos esse, velut ē malis omnibus liberatos. Audierat & historiæ mandasse Herodotū, Thraces, editos infantes circūstare solitos: & inibi, fletu testari, quantas illos calamitas in hoc mūndo perpeti oporteret: defunctorū autē cadauera, floribus adspergere, ac ipsorum funera, summa hilaritate prosequi, vt felicitatem illorum significarent, consueuisse. Quū itaqūe tantā animi fortitudinem in illis ipsis intelligeret fuisse, qui præterquam quōd barbari erant, melioris etiam post mortem vitæ, spem non habebant: colligebat apud sese, Regina perspicacissima, longē fortiores esse Christianos debere, quibus iā certissima spes adfulsit immortalitatis, sanguine Christi nobis quæsitæ: cuius victoria quam de sepulta morte, ac de Satana deuicto, in cruce reportauit, glriosū omnibus triumphum promittit, qui corporum suorum in eius aduentu resurrectionē, ac simūl vitæ æternæ promissionē expectant. Ac proinde, præter cæterarum mulierum morem, filij mortem, quem lamentabili voce deploratura videbatur, absque vlla doloris significatione, cōstantissi-

fj mě

## 42 IN OBITVM. REG. NAVAR.

mē tulit. Non ignorabat enim, flendum  
sibi non esse puerum, cuius spiritus, in  
manū erat illius, qui clamauerat in terris:  
Sinite pueros venire ad me. Ac proinde,  
vbi H E N R I C V M Regem, virum su-  
um, Christiana consolatione obfirmāuit:  
per vrbis vestræ compita (quod ipsi verūm  
esse scitis) hæc verba adfigi curauit. D O-  
M I N V S D E D I T, D O M I N V S  
A B S T V L I T. Quæro nunc à vobis, vi-  
ri Alenconiæ, si quis vestrum rogaretur,  
quid sentiat de M A R G A R I T; A E pa-  
tientia, quam, vel in hoc exēplo, quod nūc  
commemoraui, contemplari licet: quid reſ-  
ponderet? Laudarentur equidem, vel ipſe  
Socrates ethnicus, vel fidelis Hiobus, si tale  
quidpiam fecissent: quantomagis laudabi-  
le in foemina erit, cuius sexus, quantam cun-  
que pusillanimitatē excusaret? Set referā &  
aliud quoque, egregiæ in M A R G A R I-  
T A & pietatis & fortitudinis exemplum.  
Quūm enim filia eius I O H A N N A, in  
regia illa domo Plessiaca, nō procul à Tu-  
ronio, grauissimo morbo teneretur: atque  
in Aula sparsus esset rumor (erat enī tūc Lu-  
tetiæ) illā in mortis confinio esse: M A R -  
G A

G A R I T A mater, sub horam quartam  
à meridie, parari sibi lecticam iussit: se ad fi-  
liam proficisci velle significauit: atque ut sūi  
sese confestim in viam darent, mandauit.  
Imparata erant omnia, aberāt famuli, erat  
hora intempesta, aduersabatur aeris in tem-  
peries, neque etiam ad manum lectica eius,  
ac baiuli muli erant. Quod quum ea perspe-  
xisset, sese in lecticam Neptis suæ M A R -  
G A R I T A E immittit: atque paruo comi-  
tatu contenta, ad Burgum usque Reginæ  
properat. Eò ubi ventum est, non in hospi-  
tium diuertit, sed rectâ Téplum adjicit: quod  
quum ingrederetur, animū sibi nescio quid  
de filiæ suæ morte præfigere declarauit: om-  
nésque ut abirent, ac se in Templo solam,  
ad horulam relinquerent, obnoxè rogauit.  
Paruerūt omnes, ac pro foribus Templi He-  
rá mœsti ac tristes expectant. Vnica M A R -  
G A R I T A Msecuta est, Pictonum Senes-  
challa, fidissima & Reginæ obseruantissima  
Matrona. Inibi M A R G A R I T A, ante  
C H R I S T I cruci suffixi imaginem pro-  
cumbens, ex penitissimo cordis recessu pre-  
ces ad Deū fudit, suspirat, lachrymat, admis-  
sa sua omnia cōfitetur: ac in se solā, morbi  
fij filiæ

filiæ suæ caußā deflectit, veniam precatur,  
sanitatē ægrotæ orat: set ea tamē cōditione,  
si vtrique necessaria illi videretur, cuius vo  
luntatem in primis quærendam esse non  
ignorabat. Scribit Iacobus, deprecationē  
hominis Christo fidentis, magni apud De  
um ponderis ac momenti esse. Quinimo  
Christus ipse, quum nos in Euangelio co  
hortatur, vt in eius nomine patrem roge  
mus Deum: addit, nihil nos non impetra  
turos, quod credentes postulabimus. Id pro  
fectò sic M A R G A R I T A, verū esse cō  
uicit, vt de promissionibus diuinis, nemo  
nisi impius & fide carēs, ambigere amplius  
possit. Quod ita esse mox vobis cōmonstra  
bo. Finita precatione surgit M A R G A R I  
T A, è Templo egreditur, cōplures in fo  
ribus offēdit magni nominis viros, qui quū  
animum eius aliqua consolatione confir  
mare cōpissēt: Non est, inquit illa, mihi ex  
pectandum, vt homines suo consilio, su  
āque consolatione dolorē leniant meum:  
solus enim me solabitur ille, qui hoc tam  
tristi successu, patientiam constantiamque  
meam explorat. Set quum ipse superiori  
bus annis, me tot ac tam duris casibus im  
plicitam

plicitā nō deseruerit, in spē adducor, futurū,  
vt mea me non fallat expectatio. Nam spi-  
ritus eius, spiritui meo iā promittit, filiā me  
am, vt cumque periculo so illa & deplorato  
morbo laboret, liberandam tamen, ac pri-  
stīnæ sanitati restituendam esse. Hæc quum  
in via dixisset, domum ingreditur: vbi quū  
paulis per resedisset, ad cœnam ab cœcono-  
mo suo inuitatur, lauat, accumbit. Set vtinā  
viri Alenconienses, vel probè ipsi resciretis,  
vel ego pro dignitate referre possem, quos  
inter cœnādum habuit de bonitate, de pie-  
tate, de misericordia Dei sermones: quanto  
verborum pōdere potentiam ac prouidē-  
tiā diuinam explicauit; quā sententiarū  
grauitate, humānām miseriam & calamita-  
tem deplorauit. A cœna, rursus ē suo cubicu-  
lo secedere omneis iubet: deinde vbi paulis  
per orationi vacauit, sacra Biblia sibi dari  
præcipit. In genua denuo flectitur, ac sca-  
mno innixa, quū in locum illum incidisset,  
vbi Ezechiæ Regis Iuda recitat̄ oratio,  
quam ad Deum habuit, quum mortem sibi  
à Propheta prænunciatā deprecaretur, præ-  
ter spem expectationēmque omnium, au-  
ditur Cursoris signum. Hic attonitos om-  
nes

nes vidisse, ac (vt est in proverbio) auribus  
lupum tenentes: nondum enim illis consta-  
bat quidnam rerū Cursor adferret. M A R-  
G A R I T A confestim surgit, ad fenestrā  
properat, aperit, quò festinet Cursor ille,  
quid nuntiet sciscitur. Respondet nemo.  
Quid enim respōdissent? Nā si cōsolationis  
gratia, fausta illum ac prospera omnia de-  
ferre dixissent, & sese res aliter habuisset:  
poterat certè, spei illius ac insperati gaudij  
vanitas, dolorē eius exasperare. Quis autē fi-  
liae mortem (si fato sublata fuisset) illi indi-  
care: actā acerbi casus nūcius esse voluisset?  
Redijt itaque M A R G A R I T A ad ora-  
tionem: set Deus bone, quo animi affectu,  
qua fide Deum compellabat. Quūque in-  
terspem ac metum esset, N I C O L A V S  
D A N G V I S, tunc Sagiensis, hodie  
Mimatensis Episcopus, apud quem Cursor  
descenderat, ad Reginæ domum accedit: fo-  
res cubiculi eius pulsat: aperitur: intrat: Re-  
ginam in faciē prolapsā, ac orationi intētā  
reperit. Paulò pōst surgit illa, & ad Episco-  
pum versa: An tu, inquit, mōestissimæ ma-  
tri, filiæ vnicæ mortem nunciaturus veni-  
sti? nunquid ea cum Deo hodie viuit? Pru-  
dentissi-

dentissimus autem ille vir, & in quo, cum eruditio ne exacto que iudicio, morum pietas singularis copulata est, noluit repetino gaudio Reginæ spiritus conturbare: sed modestissimè respondit: Viuere quidem filiam eius cum Deo: vt cum eo viuunt omnes, quorum animus per Fidem viuit (mortuus est enim in ijs, qui Fidem non habent) set in terris tamen adhuc illam versari: febrē deferbuisse: sanguinis fluxū resedisse: Medicos, læta omnia & fausta promittere: id se se ex literis quas Cursor adulterat, certò resciuisse. Hæc vbi M A R G A R I T A au diuit, non cœpit (quod multi fecissent) tam iucudo tamque auspicio nuncio in sole scire: set sublatis in cœlum manibus, Dei pietatem prædicauit: ac illi quamcumulatissimè gratias egit. In Elia Seraptonæ filium suscitanti, in Petro Dorcadem in vitam reuocanti, se se potentia illa Dei, quam natura nequit comprehendere, exerere voluit: quid obseruit, quominus credere debeamus, M A R G A R I T A E fidē, filiæ suæ sanitatem impetrauisse? O rarum exemplum. o insignē pietatem. o inauditam fortitudinem. Eat nunc iactabunda Gentilitas: & si possit, fiiij quempi-

quēpiam ex suis proponat, quem cū nostra  
M A R G A R I T A comparemūs. For-  
tasne nobis proferentur magnanimi illi &  
constantes viri, qui tanta vi ac fortitudine  
animi in rebus aduersis armati fuere, vt nul-  
lis nouercātis Fortunæ telis trāfforari potu-  
erint. Set nisi ea quæ nos nō ita pridem me-  
morauimus, inuictæ constātiæ argumenta-  
sint, nescio sanè quid nos constantiā nomi-  
nare debeamus. Prodibit Aristides in medi-  
um: cui quum quidā os sputo inquinasset,  
risit hominis improbitatē: ac solū monuit,  
nē postea simile quidquā auderet. Poterit &  
nobis obtrudi inconcussa Socratis patiētia:  
aut proponētur, Caij Cæsaris erga hostes  
clemētia, & M. Aurelij Antonij mansuetu-  
do in Auiū Cassiū: qui, vitæ eius insidias, cū  
aliquot alijs coniuratis comparabat. Parē  
gloriam ex pari mansuetudine T, Vespa-  
sianus reportauit: quem qūum eius frater  
Domitianus, cū quibusdā alijs conspirato-  
ribus per insidias interficere statuisset: de-  
testis insidijs, illos perhumaniter obtesta-  
tūs est, ne se se parricidio macularēt. Egregi-  
a profectō sunt hæc, & principibus semper  
sequenda exempla: set quorum virtus & me-  
moria,

moria non possit, in M A R G A R I T A  
desiderari. Quod si nos quispiam proprius  
vrigeret, ac nominatim illos perstrigere cō-  
pelleret, qui eò insaniae prolapsi sūt, vt ausi  
fuerit M A R G A R I T A M, illi propalā,  
hi clanculum, quidam in tabernis, nōnulli  
intra parietes priuatos, alij in concionibus  
& è suggestis, proscindere: de ipsius mansue-  
tudine, clementia, benignitate ac constātia,  
omnibus satis constaret. Quod si voluisset  
animum ad vindictā reposcere, quis negat,  
potuisse illam, tabulas & tenebriones istos,  
ad internacionem dare? illam inquam, &  
Reginam potentissimā, & potētissimi Regis  
vnicam, eādēmque charissimam sororem?  
cui quæcunque fierent, Rex sibi facta duce-  
bat? Quis adeò excelsō est animo, vt ad con-  
uitia petulantissimæ loquacitatis nebulo-  
num, se se elinguem ostēdat? Quod, si bruta  
etiā ipsa irritaueris, equus, se calcibus tuebi-  
tur: canis, dēte: bos, cornibus: histrīx, spinis:  
apes, aculeo: narce, veneno. Set M A R  
G A R I T A, aduersus malignorum homi-  
num virulentias, clypeo euangelico (nimi-  
rum patiētia) se se obarmarat: neque aut su-  
am aut suorum autoritatem aduersus illos  
g j intende-

## 50 IN OBITVM REG. NAVAR.

intendere voluit. Imò verò tanta fuit eius clementia, vt quum quidam, horum tumultuum pricipes ac antesignani, ob detrahendi licentiam in vincula coniecti fuissent: statuissétque F R A N C I S C V S, maledicorum insignem petulantiam, sanguinis poena comprimere: fratribus genibus obuoluta, eius auribus opplorare, ac, ne regiam pietatem & māsuetudinē exueret, prius rogare ac obtestari nō destiterit, quām veniā illis atque libertatem exorasset. Adam & aliud, quod (omnium ferme hominum iudicio) concoctu longè durius videbatur: nōnullos etiam ex illorum numero, quos in suam familiam humanissimè excepérat, quos ad dignitates prouexerat, quos sua autoritate, tanquam Homerico clypeo, contexerat, quos denique in intimis habuerat, cláculum lapidem omnem mouisse, vt in Regis fratribus, & in alterius Regis mariti, odium veniret. Videlis, viri Alenconienses, pro bene nauata opera, quām pessima gratia M A R G A R I T A E relata sit. O insignem impudentiam. Set quid mirum est, si eos fuisse impudétiſſimos audiamus, qui omnem memoriam ingratitudinis superauerunt?

FVNEBRIS ORATIO. p. 51  
tierunt? Nam (vti Xenophon scribit) ingra-  
titudinis filia est impudētia: quæ ad omnis  
generis turpitudinem dux est. Atque ob  
hanc caussam, Persas proditum est, grauissi-  
mum de illis supplicium sumere solitos, qui  
quām gratiam referre possent, non refere-  
bant: nimirum, quoniam & Deos, & paren-  
tes, & patriam, & amicos, negligere viderē-  
tur. Quid putas illos facturos fuisse, si quē-  
piam audiuisserint, non solum gratiam non  
retulisse: verum etiam, pro benefactis male-  
facta reposuisse? Poterat profectò, iniuria  
ingratitudinis, quam à suis M A R G A R I  
T A acceperat, quantumuis excelsum ani-  
mum à tranquillitate dimouere: verūm eo  
se se solabatur, quod Alexandrum olim di-  
xisse ferunt, quum illi quidam renuntiasset,  
exitisse, qui malè de eo locutus esset: R E  
G I V M E S S E, M A L E A V D I R E,  
Q V V M B E N E F E C E R I S. Ac pro-  
inde quum regiam illam sententiam apud  
se se meditaretur: simūlque recordaretur,  
Christianis omnibus à Domino præscrip-  
tum esse, ne, malum malo, odium odio,  
iniuriam iniuria pensemus, animus eius  
illico prorsus defecatus reddebatur: adeò,  
g ij vt,

vt,ne in memoria quidem,vllum tantæ ingratisudinis vestigium resideret. Nec ob id pilo minus,ingratos perhumanè conueniebat: & si eius opera vñsi esse illis poterat,quasi nunquam laceſſita, lubentissimè illorum commodiſeam præbebatur.Quid esse potest, quod christianismo magis respondere aut quid in Principe, Philosophi excellentius requirerent? Vellem profectò, & Principes,& nobiles omnes viros,quoties ſe duci ſuis adfectibus patiūtur, M A R G A R I T A E mansuetudinem aliquantum reminisci:vt eius virtute retardati, non ita frequenter ad vltionem animum intenderent. Nam,in omnibus quidem hominū ordinibus,ſet præfertim in Regibus,Principibus,& Magnatibus viris,iure optimo vindictæ tollenda cupiditas est:quæ,& ſenſum animi omnem obcæcat,& rationē ſubuerit:vt cuius animus vindictæ ardore deflagrabit, is, nihil recti,nec dicat,nec agat,nec cogitet quidem.Quod quum Homerus per ſpiceret,nō ſatis habuit, Prcipes, ſubditorū patres adpellare (quanquam honestissima ſit inter homines adpellatio) ſet etiā mafustudinis vocabulū adiūxit: vt ſeſe & Reges,

&amp;

& patres mansuetos esse oportere perpetuō reminiscantur. Iam, neminem esse puto, viri Alenconienses, qui de constātia, māsuetudine ac clemētia M A R G A R I T A E dubitare amplius debeat: quæ virtutibus istis, aliam quoque virtutem, tanquam fōrōrem, adhibuit: nimirum sui abiectionem, quam vulgō humilitatē nominamus. Quis est, qui dicere audeat (nisi extremē vanus fuerit) se, M A R G A R I T A M vel vidiſſe, vel audiuiſſe vñquam, aut superbē ac arroganter loquentem: aut quidpiam inſo lenter agētem: aut despiciatos & ignobiles fastidientem? Laudi vertitur, Traiano, ac Tito Vespasiano Impp. quòd ille, amicos morbo decumbentes, imperatoria maiesta te exuta, inuiseret: hic, quòd nō modò illud ipsum idem faceret: set quouis etiam mor bo laborantes, manibus suis paſceret. Hoc quoque carbunculo, coronā suam, M A R = G A R I T A coruſcare fecit: quæ, non tā tum ex Euangelio didicerat, Dominum ſuperbis resistere: set audierat etiam, grauiffiſ mos Philosophos, cùm in omnium hominum ordinibus, tūm in Principibus maximē, cōſiderare, vt quanto quis maior eſt,

g iij tantō

tantò se submissius gerat. Quod si verū est; Principes, vicarios esse Dei & ministros: Deum ipsum imitentur opòrtet, qui se adeútibus, difficilis ac morosus nō est: set vltro omnes inuitat, vltro accersit, & venientes liberaliter recipit. Porrò, quomodo ministri erunt eius, si omnes adspennentur, & à sese rejiciant? Non iniuria profectò Demosthenes (vt legimus) Principes sine mente appellabat, qui impéritos statuarios imitátur: qui Colossoſ putant ita demum magnos videri, si multum diuaricatos, distentos, ac hiantes fecerint. Nam & illi, non se aliter credunt magnitudinem ac seueritatem imperij exprimere, nisi voce sint graues, aspectu asperi, moribus difficiles, cōuersatione parcī & rigidi, ac reliquos omnes adspennētur. Hæc M A R G A R I T A M non latebat: ac proīde neminē à suo colloquio repellebat: nō quòd rationē illorū nō haberet, qui bus cum loqueretur: verū, etiam si hono ratiores honorificè excipiebat, abiectæ tamen fortis homines nō adspennabatur: qui imo, & se adeuntes perhumaniter audiebat: &, si quos vidisset, velle quidem apud se aliquid dicere, set metu ac pudore retine ri,

ri, vltro eos accersebat, atque vt audenter dicerent, cohortabatur: omneis autem tanta māsuetudine auscultabat, vt dixisses, non Reginam illam, set simplicem aliquam mātronā fuisse. Cæterum, vbi de negocijs omnium affatim cognouerat, consiliū illis dabant, quos subodorabatur cōsilīo egere suo: alios solatio subleuabat: curis autem atque angustijs secum æstuantes, in spem erigebat: aliquid à se potentibus, negabat nihil: atque vbi suo quenque ordine ad colloquium admiserat, parumper adhuc residebat: & si qui se præterea aliquid vellent, expectabat. Meminerat siquidem humanissima Regina, vocis illius regiæ, quam Tito Vespasiano tribuūt: à sermone Principis non oportere quenquam tristē discedere. Quos autem morbis & calamitatibus adfligi audiuerat, nullo personarum habito discrimine, inuisebat: deinde, vbi animos illorū Christiana cohortatione obfirmarat, medios suos operā illis præstare iubebat: atque illic decedens, si resciuisset pertenues inibi facultates fuisse, domum reuersa, clanculū, ac sæpius nomine suppresso, aureos nummos ad ægrotos mittebat. neque enim, velut hi-

56 IN OBITVM REG. NAVAR.  
strio aliquis è proscenio saltans, fabulam  
illam conspectibus humanis agebat: ne po-  
pularem aurā pecunia mercari videretur.  
Viduarum autem, pupillorum, ac pauperū  
causæ, tantæ illi curæ erant, vt supplices li-  
bellos quos porrexerant, sumptis mox per-  
spicillis vitreis perlegeret: aut à capite ad  
calcem (vt aiunt) sibi legi iuberet. Deinde,  
vbi quid peterent resciuisset, ad supplicum  
libellorum in aula sua Magistros, ac alios,  
& graueis & doctos viros, quos secum à cō-  
filiis habebat, rem prosus omnem defere-  
bat: atque, vt supplici, amputatis omnibus  
remoris prospicerent, sanctè præcipiebat.  
Porrò, qua èrat erga egenos omneis chari-  
tate, summo etiam dispendio suo, illorum  
rebus ac commodis consultum esse vole-  
bat. Dicebat enim, Principes omnes, paupe-  
rum, non dominos, sed ministros esse: ac il-  
los mēbra Dei, quibus omnis honor debe-  
tur, vocabat. Neque suis quidquam officio  
suis cōmēdabat, quām Pauperum curam:  
imò verò, iunctis etiam manibus, plorabū-  
da, sanctè adfirmabat, se se nihil non facturā  
in eorum gratiam, quibus res pauperū curæ  
essent. Quod si certior facta fuisset, autori-  
tatem

tatem suam vñi cui piam penes aliquem es-  
se posse, vel sua manu scribebat: vel, si per  
occupationes nō daretur, FROTTAEQ  
suo (suum dico, quoniam ab intimis consi-  
lijs illi erat, fidissimus arcanorum eius) Secre-  
tarius, multa vir experientia edoctus, præstas  
ingenio, prudentia excellens, officio & dili-  
gentia cedens nemini) aut, absente illo, al-  
teri cuipiā à suis secretis, (cuius generis non  
paucos in suo ordine scriperat, industriæ  
non pœnitendæ viros) literarum argumē-  
tum dictabat. Deus bone, quām erāt plenæ  
humanitatis ac officij literæ illæ: quibus eos  
tam accuratè commendabat, in quorum  
gratiam scribebat, vt eā dixisses pro sua caus-  
a scribere. Set ne quis existimat, velim, quū  
audit M A R G A R I T A M à superbia &  
arrogantia quam remotissimā fuisse, à me-  
dio interim, nempe à grauitate, ad alteram  
extremitatum, nimirum leuitatem, ac ani-  
mi abiectionē defecisse. Ut enī boni & pru-  
dentis est Principis, arrogantiam deuitare:  
ita fugere illum animi leuitatem, ac in me-  
dio consistere necesse est: quandoquidem,  
nisi cum mansuetudine ac humanitate, gra-  
uitatem quoque coniunxerit, & sibi contē-  
h j ptum,

tum,& suo imperio dedecus parit. Erat itaque MAR G A R I T A, non superba profecto, set nec leuis etiam: ut, quum studiosa humilitatis esset, dignitatis suæ rationem simul haberet. Nam in eius facie, gestu, incessu, sermone, regia planè grauitas sic sese proferebat, ut maiestate quadam ad sui obseruantiam ac pudorem omneis inuitaret. Quum illam vidisses humanissimè singulos ad se admittētem, & neminem prorsus fastidientem, perium tibi sanè ad ipsam accessum promisisisses: set si oculorū in te obtutum defixisset, nescio quid latentisnuminis in ipso vultu relucebat, quo ita stupefactus ac attonitus reddebare, ut ne pedem quidē alterū mouere potuisses. Quod si quē clementia & mansuetudine sua fuisse abusū perspexisset, ac noxā ille admisisset non tolerandam, hic se certè grauitas illa regia exeruisset: set tanta quidem maiestate, ut, qui offenderat, iam se terra voluisset absorptum fuisse. Cæterū, non ira in illum rebatur: non conuitis illum impetebat (quæ duo in principe, sūt insaniæ symbola) set acriter sanè ipsum obiurgabat. Vbi autē satis id sibi fecisse videbatur, tū leniter curabat:

bat: ac ne postea simile quidpiam admitteret, monebat: in quo, probi certè principis argumentum exhibebat. Verùm, vbi pro admissi atrocitate, pœnam videbat necessariam esse, volebat quidem vt in delinquē tem animaduerteretur: set non ita tamen, vt seueritati æquitas non præferretur. Est enim verè boni Principis, in puniendis hominum noxis, legem paulò austriorem, æquitate mitigare. Stoicorum ego certè opinionem sequendam puto, dicentium veniā peccati bus dandā nō esse: propterea quòd, quum nemo nisi ex malitia peccet, peccati dare veniam, æquè est, ac illū fateri sua culpa non peccauisse. Set, quum negant bonū virum, mitem & æquum esse debere, quòd soleat, qui mitis est, pœnas mitigare: ex quo, & legislatorem existimat, indignas pœnas præscripsisse: & pœnas lege statutas, imminui posse, contra legem putat: illud, inquam, & iniquum credo esse, & nunquam principum auribus esse ingerendū : ne, ex bonis principibus, Nerones, ac Phalarides fiāt. Quum enim (vt Sopater ait) cogitandum nobis semper sit, peccare, homini congenitum esse: profecto qui homines puniet, tan  
hij quā

## 60 IN OBITVM REG. NAVAR.

quam peccatis planè non obnoxios,& (vt ita dicam)impeccabiles: ille certè modum transgreditur,& rectæ & secundum naturā castigationis. Hæc omnia M A R G A R I T A non ignorabat:ac proinde,tale in pœnis temperamentum seruabat,vt nec peccata impunitate insoleserent,nec tamen,pro illorum semper grauitate,pœnæ sumerentur. Quod si tam atrox admissum erat,vt ex eo,inueteratam esse malitiam,tanquam cōgenitā ægritudinē, constaret: profligatos & deploratos homines,veluti putridum ali quod membrum,abscindi,ac è medio tolli volebat. Set neque id quoque faciebat, sine aperta doloris significatione:vt, si eam vi-  
disses, quum quis ad mortem dānatus erat, dixisses profectò,alterum te Biantem vide-  
re:qui, quum in quendam esset capitis sen-  
tentiam pronunciaturus, atque ob id illa-  
chrymaret:interrogatus cur ita fleret, quū penes illum esset,reum,aut condēnare, aut absoluere:quia necessarium est(respondit)  
naturæ quidem condolere,legi autem suf-  
fragari. Vt autem M A R G A R I T A  
hominum malitiam anteuerteret,ac ampu-  
taret omnem occasionem,quæ ad deliquē-  
dum

dum impellit, domesticis suis omnibus certam quandam legum disciplinam præscriperat: à qua qui deflexisset, & admonitus nō resipuisset, ex ordine ipsius expungebatur. Nulos ferebat in familia sua ociosos, male-dicos, vino deditos, ventris mancipia, aleatores, scortatores, deierantes, seditiosos: set omneis volebat, & vita, & sermone, Christianam pietatem profiteri. Porrò, sic illos ad morum integritatem & relligionis amore, suo exemplo inuitabat, vt ea viuendi norma quam tenebat, vel inuitos ipsos, in officio contineret. Atque in primis, quū probè perspectum haberet, verum esse quod Xenophon scribit: Continentiam, totius virtutis esse fundamentū (illā ego Cōtinētiā dico, quam Socrates, & cum eo Plato, in cibo, in potu, atque in illecebris corporis omnibus, Temperantiam nominant) adeò studuit frugalitati, vt eius vita satis loquetur, debere Principes existimare, se, non ad epulandum natos esse, vt felicitatem in cibo ac potu collocent, v'tqüe vitam in delicijs & voluptatibus transigant: set, viuenditātū gratia, nobis alimenta dari. Neque illam Reginæ loco habuissent, qui solent  
h iij principia.

principatum ex luxu ac pōpa metiri: quādoquidē, non sūptuosius ornabatur, quām simplex quādam matrona. Sciebat enim, dignitatem ac amplitudinem regiam, nō in ciborum luxu, non in vestium magnificētia, set in prudentia, æquitate ac iustitia sitam esse. Quis dubitat, illā, exquisitissimis, delicatissimis, ac terra & mari longè quæsitis cibis, ventrē explere: auro, gēmis, atque (multorū principū more) & corpus & mensā, alienis sudoribus, & ornare, & onera repotuisse? Verū, maluit Augusti frugalitatē Sybariticis mensis præponere: & se dignā exhibere, vel A Egyptiorū sacerdotū, vel Persicorū Magorum, vel Indicorū Gymnophistarū sacrario, quā in Epaminōdæ Thebani odiū incurrere: ac, legibus Lacedēmoniorum aqualiculum macerādum relinquerē. Non autē id certē, quòd cibi ac potus a deo abstinens esset, vt aliquid per fordes de sua impensa detraheret: quod illi faciunt, qui, cum AElio Pertinace, dimidiatas lactucas conūuijs adponunt: set quoniā satis exploratū habebat, spiritū, in obesis corpōribus & bene curata cute, tanquam in carcere conclusum, liberas non habere ad virtutes

tes ac laudatos affectus actiones: ac proinde, noluit ad libertatem aditum illi præcludere. Neque verò existimandum est, voluptates eā ita fugisse omnes, ut interim illis vīsa non sit, pro tempore, loco, & personis, quæ, vel philosophorum sententia, honestæ ac liberales iudicantur. Audierat siquidē dixisse aliquādo Aristippum: equo illum vel naui rectè vti, nō qui in totum non vtitur: set, qui, quò libuerit, dicit. Ita eos quidem voluptatum moderatores esse, nō qui prorsus à voluptatibus abstinent: set qui voluptatibus sic vtuntur, vt simul cum illis nō abripiantur. Quod autem ad sermones adtinet, quos in prandio ac cœna, cum illis habebat, qui adstabant: non ignorabat certè, Medicorum esse præscriptū, vt, quum nos ad mensam paramus, animus noster omni mœstitudine liber sit: atque vt cibi, non minus cōdiantur festiuis sermonibus, quam sa- lis adspersione, cōdimentisque adpetentiā irritantibus. Set festiuos sermones non existimabat (quod plerique fermè omnes hodie nobiles faciunt) ludicos ac futilles istos & nullius momenti: qui, vel de rebus planè vanis, vel de impudicis etiā, & parū honestis  
h i i j habētur,

habentur. Apud Persas, quod facere illicitū est, id ne dicere quidem permittitur: turpe nimirum putant, etiā rem turpem efferre: quod quum in omnibus requirant, nō eos credo in principibus ac summatibus excusare, quorum vita (si Homerus verè loquitur) subditorū speculum est. Prætereà, quis in Principe laudabit, si pro rebus serijs res nihili tractet? si pro eruditis & sapientibus viris, quorum consilio regatur, moriones secū habeat ac scenicos homines, qui & imperium contemptibile, & imperantem ridiculum reddant? Rectè profectò dixit Sopater: Principem, qui dictarijs delectatur, maiestatem imperij imminuere. Hæc omnia M A R G A R I T A E obscura nō erant: quæ in Euangeliō quoque legerat, Domīnum, non ex factis solum, sed ex verbis etiā homines æstimaturum: ac proinde coercēdam esse liguam ab omnibus, quæ nullam adferunt honestam vtilitatem. Loquebatur itaque, nunc de re medica, nimirum de cibis humano corpori aut noxijs aut salutarijs: ac de rerum natura, cū S C H Y R O N I O, CORMERIO, STERPINIO, peritissimis suis Medicis, à quibus in cibo

ac

ac potu, regio more, semper obseruabatur: nunc de historiarum monumentis, & philosophica etiam disciplina, cum eruditissimis alijs viris, quibus nunquā carebat: nūc de fide ac relligione Christiana, cum suo Ecclesiasta G E R A R D O R V F F O Episcopo Olerensi, viro vnde cunque doctissimo. In summa, nullū erat horulē momen tū, quod honestis atque vtilibus planè sermonibus nō impertiret. Quod quū nobilis quidē animaduertisset, qui Reginam salutatum venerat (eramus autē Thussoni) tan quam attonitus, ipsam nobiscum disputantem contuebatur: nōsque vicissim Reginæ respondentes toruē inspiciebat. Erat autem inter nos tunc sermo de verbis Domini: Ni si efficiamini sicut paruuli, non ingrediemi ni regnum cælorum. Augustini sentētiam Ruffus: Hieronymi, Reginius, Supplicum libellorum magister, eruditus ac bonus plānē vir: ego verò, Chrisostomi, Theophylacti, & Hilarii, proferebam: set, Deus bone, quo verborum pondere, qua sententiarum grauitate, qua eruditione, quid ipsa quoque sentiret, explicabat! Tacebat interim nobilis noster, ac tanquam spectrum aliquod vi i j deret,

deret, quid de nobis omnibus iudicaret, ne-  
sciebat. Paucos post mēses, quum ille apud  
magnum quendā virū esset, vbi de M A R  
G A R I T A mentio inciderat, hanc histo-  
riam retulit, expostulabundus, quòd Regi-  
na de rebus friuolis cùm togatis disputauis-  
set: nobiles cum ea, nisi vnum aut alterum,  
non vidisset: sibi autem illa ne verbum qui-  
dem dixisset. O dignam tali homine expo-  
stulationem! Siccine tibi, o nullius iudicij  
belua, de rebus friuolis M A R G A R I T A  
loqui videbatur, quum tam laudabile, tám-  
que arduum argumétum tractaret? Quòd  
si de bonis literis & virtutibus sermonem  
habere, est de rebus friuolis loqui, quas tu  
igitur res serias adpellabis? fortassis, de re  
bellica, de armis, de phaleris equorum, de  
venatu, de aucupio, de luxu, de scortatione,  
de deierationibus, de vindicta, de sanguine  
effundendo, de discerpendis membratim  
hominibus, de rebūs denique huiusmodi,  
prādia & cœnas condire. Set non sunt ista  
mulierum, præsertim Reginarum ac Prin-  
cipum propria: quæ nec loricantur, nec pu-  
gnam ineunt, nec sunt feritati & crudelitati  
adsuetæ. Disputabat autem M A R G A R I  
T A

T A cū togatis. quibus cū igitur? an cum tibi simillimis? quos de literis, de prudentia, de consilio, de reipub. gubernaculo sententiam rogare, esset quidē certè à cæcis visū, à surdis auditum, ab elinguatis vocem, à marmorea statua consilium petere. At secū illa paucos admodum nobiles habebat. set quos tu nobiles desiderabas? nonne illos, qui de sanguinis antiquitate superbiunt, de virtute autem gloriari non possunt? Nobilitatem ego illam sanguinis nō sic reijcio, vt nihil prorsus illi deferēdum esse putem: nisi. tamen cum animi nobilitate, nempe cum virtute, coniuncta sit, eam profectò nobilitatis simulachrum tantūm esse, dico. De togatis verò quid sentis? nonne ignobiles esse illos? Set si duas nobilitatis parteis consecuti sunt, vt & ex antiqua stirpe sint progeniti, & virtutibus illustres splendidique adpareant: vel hoc nomine nobiles esse negabis illos, quod togati sunt? Qualeis igitur togatos fuisse iudicabis, qui rem pub. Romanam fundarunt, fundatam erexerūt, erētam totius orbis dominā & caput rediderunt? Qualeis quoque illos esse dices, quos hodie Reges in curias cooptarunt, ac

legám & iuris ministros crearunt,sine quibus,de suo statu imperia conuellerentur:ref pub.pessundaréatur:tumultibus ac seditionibus feruerent omnia? Vbi consilio egetis, vbi facultates vestræ in controuersiam veniunt, vbi aliquis negocium vobis faceſſit, vbi iure propulsanda eſt iniuria quam accepistis,ad togatos, tanquam ad refugium extreſum recurritis:& adhuc tamē improbas,quòd M A R G A R I T A togatos domi complures haberet,sine quibus nunquā in publicum prodibat. Verūm, hoc te quidem malè habet, quòd quum familiariter cum illis disputaret, sermonem ad te suum non conuertebat. Set præuidebat Regina prudentissima, quanto pudore suffundendus eras,si de ijs te rebus interrogasset, qua rum vel solum nomen, te prorsus elinguē reddidifſet.Ea eſt sanè cauſſa, quæ te impunit, vt diceres de rebus illam friuolis,cum tot gatis suis loqui. Quis autem non perspicit, fructum ex radicis succo saporem trahere? Ita neceſſe certè eſt, vt orationem ipsi edamus,quæ reddat ore, cordis affectum,Quo modo arbor venenati succi, poma feret salubria?ſic, quomodo insana non loquētur, quibus

quibus non est sana mens, sanus animus?  
Nascebatur itaque M A R G A R I T A E  
oratio, ex eo, quod in corde ipsius reconditum  
erat: nimis ex virtute ac pietate, quam  
toto affectu spirabat. Set non solebat praes-  
ente matito Rege, in eas mentiones ac dis-  
putationes cum Philosophicas tum Chri-  
stianas incidere, nisi prior ille de rebus hu-  
iusti loqueretur: verum, ut elinguis ta-  
cebat. Faciebat autem id, non quod H E N-  
R I C V S, vel cum Valentiniano Gratia-  
ni filio, atque cum Licinio, misomusis Prin-  
cipibus, ardeat in exitium literarum (quan-  
doquidem & de literis frequenter loquitur:  
& literatos omnes officiosè amplectitur)  
vel quod imitari quosdam velit, qui suas v-  
xores eò seruitutis redigunt, ut coram eis  
negry quidem audeant (amabat enim Re-  
ginam vnicè) vel quod, cum morosophis  
quibusdam, vitio vertendum putet, fœmi-  
nas de literis loqui: multum enim & inge-  
nium & doctrinam M A R G A R I T A E  
venerabatur: & filiam quoque suam IOHAN-  
N A M, melioribus disciplinis ac artibus  
excoli curauit: idque opera N I C O L A I  
B O R B O N I I, poetæ vtraque literatura  
i iij clarissi-

clarissimi. Set nouerat Regina prudentissima, quale sit probæ vxoris officium: nimis audacula loquacitate viro non obstrepare: verū, ex Pauli præscripto, præsente illo tacere: ac, si quid discere cupiat, ipsū interrogare. Quod si etiam non dixisset Pauslus, legerat tamen apud Plutarchū, debere vxorem cum marito aut per maritū loqui: non autem molestè ferre, si aliena lingua, tanquam tubicen, grauius loquatur. Potuisset (multarum more) coram marito garrire: potuisset loquētis sermonē interrūpere: potuisset eius autoritatem usurpare: potuisset denique aliquid præcipiēti reluctari: set Dominum illa ipsum cū Sara agnoscebat & reuerebatur: illi ut capiti mēbrum obediebat: atque omnibus obsequijs eū demebatur. Si quid iussisset, dicto citius parebat: refragabatur nunquam: quinimo vitæ suę dispendio fauorem ipsius ac gratiam redimere non dubitauit. Quum enim statuisset Henricus, Gallicum mutare solum, ac se ad Bernenses suos recipere: tametsi iam ea satis explorasset, suo temperamento aerem illum crassum insalubrem esse: atque Medicis vitæ discrimin interminantes ne se eò

con-

conferret, obstinatissimè dissuaderent, maluit tamen virum sequi, & mortis periculo præstissimo se obijcere: quām in se aliquod probæ vxoris munus desiderandū relinque re. Veniāt mulieres nostræ ad hoc speculū: illud consulant, & in eo vitam intueantur suā. Quo pudore suffundētur garrulæ, quæ, tametfī infimo loco natæ, nobiles ac illustres maritos noctæ sint, quibus illud ipsū quod sunt, debent, superbè tamen efferuntur: maritos nec reuerentur, nec quidquām curant: ac domi, & foris etiam, illarum lingua Dodonæum est cymbalum: ita ut dum suas ineptias blaterant,

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas Pulsari. Quid nos autem de huiusmodi Gtacculis & Picis iudicabimus aliud, quā, quod dum sic contemptui maritos habent, sese parum honestas & pudicas esse testantur? Phidiam legimus, Venerem Eliensibus fecisse, testudinem calcantem: id certè, ut mulierum esse munus, & ædes custodire, & se in filétio cōtinere ostenderet. Nā (vt Euripides ait) quæ apud viros tacere nō possūr, sese dedecore adspergunt. Democritus quoque sermonis parcitatem, mulierum esse or

## 72 IN OBITVM R E G. NAVAR.

namētum dicebat: Epicharīmus, probitatis argumentum: Nicostrates autem, castitatis pignus adpellabat. Hæc profectò omnia, M A R G A R I T A M non latebant: didi cerat enim, non ex ethnicis scriptoribus so lum: verùm ex orthodoxis etiam, quām ac curatè, mulieres oporteat maritos, vtlibet despiciatissimos, quantumuis nobiles ac di uites ipsæ fuerint, obseruare, colere, ac vene rari. Set quid tu admiratione adficeris, quū audis, M A R G A R I T A M, & apud Phi losophos, reliquōsque scriptores ethnicos, & apud Prophetas, sacrōsque autores, præ cepta bene ac verè regiè viuendi, & legisse, & fideliter retenta, ad amuſſim (quod aiūt) obseruasse? atque, nunc domi, inter suos, nunc palām, & apud quosuis, recensuisse? Quid igitur putas? nonne fortassis similem esse M A R G A R I T A Maulicis mulieri bus debuisse, quæ totos dies, vel in ocio & vanis sermonibus trāsigūt: vel muliebribus tantum occupationibus & artibus vacant? Verūm vt erat cæteris sui sexus, ingenij acu mine longè præstantior: habebatque in mu liebri corpore, heroicum planè ac virilem animum: ita voluit artibus virō dignis, at que

que honestissimis excercitationibus tēpus  
fallere. Si tu itaque periculum facere volu-  
isses, quid operis à prandio, absente marito  
Rege, ac sola in cubiculo ageret, illam repe-  
tisses, pro lana, librum: pro fuso, calamum:  
pro acu, stilum tractantem. Quod si etiam  
vel texendis tapetis, vel alijs operibus acu-  
pingendis, sese adplicuisset (quo genere oc-  
cupationis ut plurimum oblectabatur) ali-  
quem ex suis habebat, qui, vel historiogra-  
phum, vel poetam, vel quempiam aliū no-  
bilioris notæ scriptorem legeret: aut, ipsa di-  
ctante, quæ meditabatur, scriptis mādaret.  
Addam & aliud, quod complures admirati-  
one obstupefaciat: set tamen verum sanè,  
& multorum testimonio (si opus erit) con-  
firmandum: vidisse nos illā fāpicule, & suæ  
texturæ intentam, & duos simul hinc indè  
occupātem: quorum alter rhythmos, quos  
in promptu ac tumultariè & doctos & gra-  
ueis effundebat, alter literas quas ad aliquē  
scribebat, exciperet. Non deerunt qui dicāt,  
aliena hæc esse à muliebri officio: atque  
ob eam caussam illud in M A R G A R I-  
T A damnabunt, quod nos in cœlum ex-  
tollimus: set quid illis respōdere debeamus,

in manu certè quidem habemus. Etenim pari cæcitate obducti, in temeritatem reprehensionis impegere, qui aliquando, censorio edicto, Mulieres à Philosophiæ studio arcere voluerunt. Set quanquam ipsi negare nequeamus quædam virorū esse propria, ut, aut exercitum ducere, aut rem publicā administrare, aut concionari: quædam etiā mulierum esse peculiaria, ut domi manere, maritum bene tractare, ac sollicitè rem domesticam curare: nemo tamē negabit (nisi s̄esus ac iudicij prorsus expers fuerit) quædā quoque vtrisque cōmunia esse: quod genus sunt, fortitudo, iustitia, temperantia, & virtutes reliquæ omnes. Cur igitur mulieribus non licebit, quæ sic sunt illis cum viris communia, à communi fonte haurire: nimirum ex libris petere? Virtutes maioribus nostris, gentilium Philosophorū libri tradiderunt: nobis verò, sacri etiam scriptores, ante oculos amplectendas ponunt. Quod si qui Philosophos legunt, & sacras literas reuoluūt, vt inde morum integratatem percipiāt, pro bonis ac verè prudentibus viris habentur: qua ratione cordatas mulieres ab huiusmodi lectione repellimus? Historiarū monumentis,

mentis, posteritati commendatur Erinna,  
Sappho, Polla, Praxilla, Sosipatra, Telesil  
la, & cōplures aliæ: quæ suam doctrinam po  
ematibus scriptis testatissimam reliquere.  
Quid Leontion illa? nonne gloriam est  
immortalem consecuta ex eo opere, quo  
Theophrastum Philosophū impetivit? Fili  
am Pythagoras Daman habuit, & sororem  
Themistocleam: quas, si studio Philosophi  
æ, mulieres, tanquam mūsica Tygres, ad in  
saniam adigerentur, summus ille Philoso  
phus, in ea disciplina nō instituisset. Neque  
verò Socratem puduit, Diotimam magistrā  
vocare, & Aspasiæ lectionibus interesse, vi  
rum alioqui in formandis moribus fœmi  
narum adeò diligentem ac seuerum, vt nō  
sustinuissest, Philosophiam docuisse illas, si  
muliebris sexus, dignitatem philosophicā  
dehonestaret. Eandem laudem non mere  
bitur M A R G A R I T A nostra, & vates  
peregria, & Philosophicis præceptis ac in  
stitutis ad admirationē vsque informata, vt  
Non illi Praxilla suos, prædoctaque Nossis  
Contulerit, Myrtisque modos: non dulcis  
Agacles,  
Non Anyte, non quæ versus Erinna trecē  
l*z ij* tos

Castalio seu melle rigat: nō candida Myrto,

Nec Telefilla ferox: non quæ canit Aegida  
sæuæ

Pallados, effusū crinem vittata, Corinna.  
Non sūt autē audiēdi, qui obductos superci-  
lio, nobis obijciūt, eadē secula nō esse: eth-  
nicis mulieribus concessum olim fuisse, no-  
stris quoque posse concedi, vt animum  
ad artes ac disciplinas profanas adiungāt:  
verūm, à sacris literis procul esse submouen-  
das. Quasi verò sacer ille Spiritus, mulieri-  
bus & què atque viris suam gratiam instilla-  
re, vel nequeat, vel erubescat: & qui omne  
donum optimū è cœlo nobis largitur om-  
nibus, à gratuita beneficentia sua foeminas  
eximat: aut si non eximantur, impium ta-  
men sit, de ijs eas loqui, quæ homines, aliū-  
de accepta, tyrannica autoritate sibi sumūt  
& arrogant. Id si ita esset, dānanda erit Ca-  
tharina illa Senensis, cuius extant in re the-  
ologa eruditissimi iuxta ac pīflimi commē-  
tarij. Dānanda quoque Hildegardis Ger-  
mania: & eadē sētētia Bernardus īpietatis  
conuictus pronuntiandus erit: qui toties-  
ad eā, tanquā ad theologā scribit. Set iudici-  
bus

bus istis adeò inquis, Hieronymus reclama bit, cuius in manu habemus, tam eleganteis ad Fabiolam, Marcellam, & Eustochium epistolas, quibus illas ad Philosophiam Christianam, tanquam admotis calcaribus incitat: tantum abest, vt studium illud, in fœminis dānandum arbitretur. De M A R = G A R I T A autem nostra verè dicere pos sumus, in negocio Euangelico, non huma nis illam conatibus, non laboriosa Philoso phorum industria, non superstitionis obser uationibus, adiutā illam fuisse: sed in pietate tamen Christiana, adeò felices progres sus fecisse, vt si quis, seposita omni sophisti ca contentione, atque prorsus exutis adfetti bus malis, qui iudicium animi peruer tunt, Speculum peccatricis animæ, Trium phum agni, Comædias, Odas, Oratio = nes, ac reliqua opera, quæ versibus Gallicis scripsit, cum iudicio legat, nobiscum in eandem sententiam venturus sit, veterum nullam extare, quantumuis hominum iu dicio comprobata, quæ cum ea iure con ferri queat.

Non Proba, quæ magnum trūcauit docta Maronem.

Non Isota, aut Costi doctissima filia Regis.  
Non Fabiæ gentis referens noménque, de-  
cūisque.

Non neque Marcella, Eustochium, Cassan-  
dra, nec altum

Quæ vecta ad solium est, habitum mentita  
virilem.

Set quid ego mulieres theologas commes-  
moro? quum eadem possim, de Prudentio,  
Sedulio, Iuuenco, Macrino, Eobano, & cæ-  
teris Christianis poetis, sine ipsorum iniuri-  
a, dicere? Illos enim credo ego (si viuerent)  
mihi adséuros, postremos autem nō quidē  
repugnaturos, M A R G A R I T A M nō  
minus eleganter, non minus copiose, non  
minus eruditè, nostra, quām Græcos vel La-  
tinós sua lingua scripsisse. Etenim eius scri-  
pta, tanta venustate, tanta pietate, tantāque  
recōditioris doctrinæ copia cōcīnata sūt, vt  
si quis ipsa autoris nomine suppresso legat,  
non se dicat mulieris opera, set grauissimi  
alicuius scriptoris elaboratas scriptiones le-  
gere. Quum esset itaque tam excellenti in  
genio & doctrina prædita, vt prodigium ac  
miraculum Naturæ, ab acri iudicio viris ad-  
pellaretur: neminem puto dubitaturū, quin

à doctis illa hominibus obseruata,culta,vc  
nerata,amatáque fuerit:ac ipsa vicissim,me  
lioribus disciplinis excultos amplexata,ho-  
norificè semper exceperit, atque pro virili  
sua extulerit. Tantus erat Mecœnatis erga  
literas & literatos amor,vt ab illo Mecœna  
tes adpellemus eos,qui eruditorum homi-  
num studia fouent.Lucullus quoque inge-  
nio & doctrina excellentes,adeò liberaliter  
tractabat, ac fortunis iuuabat suis, vt eius  
domus,portus Græcorum diceretur Romā  
venientium.Set neque Mecœnati M A R  
G A R I T A cessit, neque se à Lucullo su-  
perari passa est:cuius domus,non Gallis so-  
lūm & Romanis, set Germanis etiam, set  
Anglis, set Scotis, set Hispanis, set nationi-  
bus orbis semper omnibus patuit:ídque a-  
deò sanè, vt quum de bonarum literarum  
ac proborum hominum Mecœnate apud  
nos sermo habebatur,de Nauarrorum Re-  
gina,omniū cōsensu intelligeremus.Quod  
ita sese habere satis cōfirmabūt tot virtute  
præstabiles viri,quos,vel in suum ordinem  
cooptauerat, vel prouincijs gubernandis,  
ac legum iudiciorūmque administrationi  
præfici curauerat.Idipsum BRINONIVS

l2 iij ille

86 IN OBITVM REG. NAVAR.  
ille (si viueret) testificaretur, homo grauis &  
prudens, ac æquitatis rarissimū exēplar: qui  
quū fato sublatus est, eius Cancellarius erat.  
In cuius locū FRANCIS CVS OLIVA-  
RIVS suffectus, suis virtutibus sic dignitatē  
illā ornauit, sic ipsius amplitudinē auxit, vt  
dignissimus habitus, cui maiora gubernati-  
cula committerentur, diuina prouidētia de  
rebus Gallicis disponente, hodie fastigium  
inter honoratos homines teneat: atque re-  
gni totius Nomophylax, tanquam Athlas  
suis humeris cœlum, ita rem pub. Gallicam,  
sua prudentia sustineat. OLIVARIO suc-  
cessit GROSLOTIVS, ingenij acumine  
præstantissimus, ac vir multa rerum experi-  
entia, maturitate iudicij, & eruditione non  
vulgari suspiciendus. De GVILIELMO  
autem HABBOTIO Parisiensi Senatore,  
quem, Præsidem consilij Alenconiensis cre-  
auerat, & quid dicere debeamus, ipsi testes  
estis: & curia Parisiensis nobiscum adsentie-  
tur, in homine illo, cum incredibili huma-  
nitate, coniunctam esse inconcussam seue-  
ritatem, ingenium perspicax, & quidquid in  
absolutissimo viro laudari potest. ANTO-  
NIVM ego LVGDVNENSEM, IO-  
HAN.

F V N E B R I S O R A T I O . 31  
HAN.PRAEPOSITVM,&FRAN.BO  
ILLEVIVM eiusdē ordinis viros, atque  
in Aléconensi Scacario Reginæ nostræ Cō  
filiarios, hic ommittere nec possum quidē  
nec debeo:illos tamen pro meritis satis lau-  
dere non valeo: tanta est in eis, senatoriæ  
dignitati connexa grauitas, tantus bonarū  
disciplinarum amor, tanta vis ingenij, tam  
denique abstrusa rerū cognitio. Quāquam  
verò de togatis solūm hic meminisse statu-  
erim, nequeo tamen RENATVM SYL-  
LIVM Præsidem huius Prouicię præterire:  
in quo tanta est prudentia, tantus rerū vſus,  
vt quod Græcis Nestor ille laudatissimus  
erat, SYLLIVS Aléconijs hodie sit. In hūc  
quoque numerū nobis MATTHAEVS  
PACVS Bernensium Præses adscribendus  
est, qui tam feliciter in omni genere discipli-  
narum versatus est, vt nihil de illo dicere a-  
liud possim, quām quod Encyclopædiā ab-  
soluit. Neque dubito, quin mecum simul dic-  
turi sint omnes, quibus PACI ingenium,  
doctrina & mores perspecti erunt, nostræ  
Galliæ tum demum per pulchrè consultū  
fore, si quādoque illā contingat PACOS  
habere multos, vel Præsides vel Senatores.

Ij Taceo

Taceo propè innumeros, quos MARGA  
RITA, in publicum commodum, in ære  
suo scripsérat, Episcopos, Abbates, Senato-  
res regios, cùm libellorum supplicum Ma-  
gistros, tum Consiliarios suos: atque alios,  
Prætores, Iudices, Magistratus: quos nomi-  
natim recensere, nimis lögum esset: set om-  
neis tamen literis doctrináque præstátes vi-  
ros. De vestris autem, viri Alencon. nimirū  
de Iohanne Moinetio, Grosloio, Moine-  
tio, filio, Custellario, supplicum libellorum  
Magistris: Bougio, Daguiio, Torello, Pelli-  
tario, Roilletio, Heruetio, Farcio, Truchio,  
Consiliarijs: qui & in Scacario, & in Consi-  
lio ius reddere solebant: & vos quid dicen-  
dum sit probè nostis, qui diligentia ac pru-  
dentiam illorum, longos iam annos estis  
experti: & nos aliquid etiam ipsi diceremus,  
nisi, vel hoc nomine, in adulatio[n]is suspi-  
onem nostra veniret oratio, quòd me in eo-  
dem munere collegam & socium habuere.  
Neque verò satis fuit MARGARITAE,  
tot illustres ac spectabiles viros, præmijs in  
suam familiam euocauisse, ac retinuisse: ve-  
rumentiam, quidquid poterat honoris, sem-  
per eis deferebat: nec de absentibus loque-  
batur,

batur, nec illos aut corām, aut per literas cō  
ueniebat, sine honorifica nominis ipsorum  
mentione. Audiuerat enim ex Platone, c iu  
tatis decus tum demum custodiri, quū ma  
gistratibus ac honoratis viris, suus honor,  
suāque reuerentia exhibetur. Quām id quæ  
so grauatē facerent, qui doctrina & ingenio  
excellentes, in domesticorum quidem cata  
logo reponunt; verū tametsī toti ab illo-  
rum consilio & prudentia pendeant, quoni  
am tamen sunt fortassis ex ignobili patre  
progeniti, nullam habent virtutis qua no-  
bilitantur rationem: quinimo, sibi digni  
tatem nobilitatis labefactare ac peruertere  
viderentur, si suum honorem illis redderēt:  
ac proinde, non pluris illos faciunt, quām,  
vel abiectos muliones, vel coquinaria quæ  
dam mancipia. Set didicerat ex Iamblico  
M A R G A R I T A, in eo regni bene ad-  
ministrati signum cōstare, quum eos Prin-  
ceps in honore habet, quibus honor debe-  
tur: atque ob eam caussam claros omneis vi-  
ros honoribus amplissimis quantum pote-  
rat decorabat. Porrò, neminem per sordes  
ad dignitates promotum esse patiebatur:  
set, si quēpiam audiuerat, eruditioinis ac pro  
lij bitatis

bitatis nomine, apud se commēdari, dignitatem illi quæ vacaret, gratis cōferebat: aut si in alicuius domestici gratiam illud factura erat, dabat ille prius iusurandum, se id precio & mercede ductum, non postulare. Neminem enim, aut pro amplioribus facultatibus, aut pro excellentiori genere ac familia euehebat: set, vt quisque virtute præstabat, ita in adsequendis dignitatibus præferebatur. Etenim obscurū ei nō erat (quod & sēpe propalam prædicabat) ex fordida huiusmodi magistratum nundinatione, ad corruptelas & expilationes viam sterni: atque vitiis prorsus omnibus, ad Rempub. euertendam, facilem & peruium accessum dari. Nam, quid aliud Princeps agit, qui cōposito precio dignitates vēdit, quām, quōd venales leges, venalia iura, venalem æquitatē, venales planē virtutes, imò venalia quoque vitia facit? Ambitiosi siquidem homines, qui omnibus neruis ad honores contēdunt, vbi perspiciunt, non de virtute ac doctrina, set de pecunia quāri, vt præferatur, non qui dignior erit, verūm qui plus licebitur: tum facultates vendunt suas, ac sese fœderatorum quoque tyrannidi mancipant,

vt vnde cūque numos, quibus honores mercentur corradant. Eò verò postquam peruenere, quid mirum est, si leges ipsi vendunt? si ius nundinatur? si æquitatē pervertunt, vt expensum repetant? Quod, quid est aliud, quam ciuitates, imò Prícipes etiam ipsos vendere? Demosthenes enim, leges, ciuitatis animam adpellat: Musonius Prícipe vocat, viuam legem: Plato, legis animam. Magistratus igitur qui ius corrūpit, ac leges vendit, ciuitates simul, ac ipsos Prícipes, & corrumpat & vendat necesse est. Ex quo perspicuum etiam est, Prícipem, qui constituto precio magistratus creat, & se, & ciuitates quoque suas, imò Deum etiā ipsum vendere. Quū enim (vt Demosthenes scribit) Ius, finis sit legis: lex Prícipis opus: Princeps autem, imago Dei cuncta administrantis: consequens est, vt Princeps, qui istos honorum licitatores admittit, atque dignitates certa mercede tribuit, & ius, & legem, & se, & Deum quoque ipsum vēdat. Quæ quidem omnia sic dicta esse volo, vt Prícipibus, quum vicini aut alij, infenso & hostili animo in fines imperij illorum incurruunt: aut vi ab hostibus occupata re-

petere ipsi contendunt, aut publica regni  
negocia postulant, honestè liceat venales  
pronūtiare dignitates. Etenim si, quum ne-  
cessitas vrget, sacra, sācta, religiosa, quē nul-  
lo alioqui iure transferri ac violari debent,  
vendi, alienari, dissipari sine iniuria pos-  
sunt: quis negabit eodem etiā nomine Ma-  
gistratus distrahi licere? Set nisi ista compel-  
lant, dignitatum huiusmodi nundinatio, a-  
uaritiam arguit: quæ à Principis maiestate  
quamremotissima esse debet. Quū hæc ita-  
que omnia M A R G A R I T Aprobè per-  
specta haberet, non quidē quibusunque,  
set lectissimis tantum viris, sine precio ta-  
men vlo honores largiebatur: atque ma-  
lebat potius liberalitatis fines excedere, quā  
regium nomen næuo avaritiæ dehonesta-  
re. Nullum excogitari potest genus liberali-  
tatis, quod nō affatim exercuerit: vt, si cum  
cius magnificentia T. Vespasiani liberalita-  
tem conferas, qui se diem illum perdidisse  
dicebat, in quo nihil dederat, tibi sordescere  
videatur. Fertur Galenus Imperator, Vale-  
riani filius, petētibus nihil negauisse vñquā:  
quod ille quoque, de quo nūc loquebamur,  
Vespasianus, non faciebat solūm: set vltro  
etiā

etiam omneis hortabatur, vt quæ vellent peterent. MARGARITA autem, non modo quæcunque à se postulabatur, hilariter donabat: nec solū unūquæque ad petendū inuitabat: verū etiam, nihil minus quam de petitione cogitantibus, tā magna sæpe munera largiebatur, vt eius largitas non minus puderet illos perfunderet, quam memoriæ proditum est erubuisse Philotā, Antonij, Marci filij, admirabilem liberalitatem: ac munerū magnitudine sic territum fuisse, vt illa capere reformidarat. Præterea non ignorabat, aliquando scripsisse Epictetum: Solem, preces & præstigias vt oriatur, non expectare solitū: set vltro fulgere, atque ab omnibus salutari: Sic Principē, plausus, strepitus, ac lustrationes hominū expectare, vt benefaciat, non debere: set beneficia spōte sua cōferre illū oportere, vt in mundo, tāquam Sol in cœlo, splēdeat. Huius autem adeo rarae liberalitatis fructū sensere omnes, quos in suū famulitiū ex hominū propè omniū ordinibus cooptauerat. Non enim contenta erat, pactioni mercedis quam cum illis fecerat, stare: set operam etiam fidelitatēmque ipsorum, in expectata liberalitate remunerabatur. Nē  
l i i i j que

88 IN OBITVM R E G . N A V A R .  
que verò quosdam imitari voluit, qui famulos suos, non liberorum quidem & hominū, set mancipiorum ac brutorum loco habēt: atque, vbi opera illorum, non dico vñsi, set abusī sunt, satis se se illis fecisse putant, si, tanquam canibus, quālencunque viētum suppeditarint. Quòd si de salario cum famulis conuenerint, quum illi, diligentia, laborū ac vigiliarum suarum fructum (nempe pætam mercedem) postulant, pro beneficijs maleficia ab ingratis recipiunt, qui sœuitiā ac mille opprobria, pro liberalitate in eos adhibēt. At M A R G A R I T A perpetuò recordabatur, præcepisse Platonem, ne domini, seruos contumelijs ac iniuria magis adficiant, quām æquales suos: & ante illum, Mosē in Deuteronomio, ne fam ulorū sti pendia, in crastinum differātur, cauisse. Sciebat præterea dixisse CHRISTVM, operarios non esse sua mercede frustrados: ac PAVLVM scripsisse, non debere Boui trituranti os adligari. Quæ omnia quum in memoriam reuocaret, erat in soluenda famulorum suorū annua mercede adeò religiosa, vt, si finito trimestri, quū se se domū recepturi erant, Thesaurarius, senumos in promptū

promptu non habere dixisset, de cottidiana expensa detrahi vellet quod illis daretur: ac simul, solutæ mercedi auctarium aliquod, in viaticum adiungeret. Hac tam eximia liberalitate quum erga suos ita vteretur, exteros interim & incognitos non excludebat: sed sine personarum delectu, regia largitate omneis prosequebatur. Cimonē illū Atheniensem legimus, pauperes conuiuio excipere, famulīisque suis præcipere solitum, vt collata furtim pecunia, quos inopia & egestate confici audirent, iuuarent. Abdiā quoque proditum est, Prophetas, impiæ Iezabellis crudelitatem fugientes, in spelunca pauis se. Eodem nomine, Lucinæ virginis Roma næ liberalitas commendatur, quòd illorum inopiam subleuaret, quos resciuisset esse religionis Christianæ professores. Verùm, si fieri posset, vt in vnum locum coirent omnes, quos MARGARITA sua beneficētia adiuuit, nec nostra certè, nec patrū nostrorum memoria, tam numerosus exercitus vi sus est. Omnes enim qui grauibus morbis ægri erant, qui omnium rerum inopia lababant, qui bonis perditis, ac patria pulsī, solum vertebant, qui persequentem mortem

m j fugitabāt,

90 IN OBITVM REG. NAVAR.  
fugitabat, in summa, qui aduersis casibus agitabantur, in extremo discrimine, ad MARGARITAM se, tamquam ad sacram anchoram, extremumque salutis perfugium recipiebant. Inibi alios vidisses, ex mendicitate caput emergere: alios veluti naufragium passos, in portu tranquillitatem amplecti: alios, firmo eius praesidio, aduersus impios defendi: ut dixisses Gallinam esse, quae metuens puluis suis, eos congregat, & sub alis suis fouet. Quis est (nisi qui ab omni humanitate alienus erit) qui, liberalissimae munificentissimaeque Reginae candorem ac pietatem non exosculetur? non amet? non veneretur? Ea non improbabit Iamblichus: quandoquidem Principes requirit, qui omni genere liberalitatis subditos suos sibi obnoxios reddat: atque Gratias proferant, non ex vase, nec vasis inclusas (vt Poetæ dicunt) set nudas, ac sine vello prorsus externo velamento: atque huiusmodi Gratiarum decus, coronam imperij nominat. Plato quoque ipsius largitatem non reprehendisset, vt potest scribens, infelicissimam esse Rempub. cuius Princeps aliquid esse suum dixerit, non communem subditorum. Cæterum non sic communita-

munitatem illam accipit, vt nihil debeat  
in ciuitate Principis propriū esse (quod qui  
dam ad platonicā maiestatem cæcutientes,  
putauere:& cum eis deploratissima Anabap  
tistarum colluuius turpiter ac seditiosè do  
cuit) set vt liberalitatem intelligamus tan  
topere Principibus commendari, vt erga  
omneis sint munificentissimi: quasi nihil  
habeant, quod subditis liberalitatis iure cō  
mune non sit. Non defuerunt tamen, qui,  
quod boni omnes ac iudicio acri & certo  
viri, in M A R G A R I T A laudant, vitio  
illi verti debere dixerint: quam nos liberali  
tatem nominamus, rei profusionem adpel  
lantes. Dicunt enim, in beneficijs conferen  
dis eam adhiberi cautionem oportere, vt  
promiscuè ac cōmuniter, tam bonis quàm  
malis non conferantur: set ijs duntaxat, qui  
beneficio digni videbūtur. Verū, id M A R  
G A R I T A M non obseruasse: neque habu  
isse personarum quibus benefaceret, discrī  
men atque delectum: vt beneficia sua non  
nisi bene collocaret: quibus frequēter illos  
qui non promerebantur, adficiebat. Hos ser  
mones non semel modestissima Regina au  
diuit: set parum admodum commouebatur  
m i j opinione

opinione reproborum sordidorumque hominum, quos, cū Aristophanis Patroclo, Pygmalione Vergiliano, Polymnestore Properiano, Vuidio Horatiano, Salerano Martinis, cūmque huiusmodi auaritia hiantibus, sinebat illiberaliter & fœdè viuere; ac pecuniæ pecuninè seruire. Interim verò, erat certè quidem in beneficijs tribuendis, erga bonos ac virtute præstantes propensior: set malis etiā ac profligatis nihil negabat. Audierat enim Aristotelem philosophum, cuidam deploratae vitæ pecuniam roganti, dedisse: atque ab alio reprehensum, quod vitiioso benefecisset, repondisse: non homini se dedisse, set humanitati. Non ignorabat etiam, quod & nos non ita pridem dicebamus, Principem imaginē esse Dei, & in hoc (vt Paulus ait) à Domino ordinatū, vt minister eius sit: atque enitatur, clementia, bonitate, æquitate, ac moribus illum referre, cuius vices in terris gerit. Quare, quēadmodū ille patitur Solem suum communem esse omnibus: ac pluuiam quoque suam vtilem esse, justis pariter & iniustis: vt mali, suo beneficio prouocati, resipiscant, boni verò, ad gratiarum actionem excitetur: Ita, nos omnes

neis ex æquo (set maximè Principes viros) summa ope niti decet, ut bonitate ac clemētia cedamus nemini: set, & amicos & inimicos, & nostros & alienigenas, bonos & malos, beneficijs cūmulatissimè adficiamus. Addebat & aliud maleuoli homines, in quo Reginam culpa non vacare clamitabant: nempe quòd certos quosdā, & quasi ex tota familia selectos haberet, quibus propēsissimè fauebat: ac lapidē mouebat omnē, vt & honoribus cumularētur, & opibus augerētur, Non equidē dubito, quin benevolentia Reginę illa singularis, multorū inuidiā illis cōflauerit: set virtutē ipsorū, quæ tantū si bi fauorem conciliauerat, nec euertere nec obscūrare potuerunt. Hos rumores quam M A R G A R I T A audiret, nihil respondebat aliud, quām quod Artaxerxes Persarum regem, eiusdem culpæ à quibusdā criminatum respōdisse ferunt: Esse totius corporis nobilia quidem membra omnia: set nobiliora tamen esse nonnulla, quibus, tanquam magis idoneis instrumentis, animus, corporis Dux vteretur. Quibus verbis significare sagacissimus Princeps volebat, in Prīcipūm familia, nomine quidem æquales

m iij      esse

94 IN OBITVM REG. NAVAR.  
esse omnes: set eos Pricipē & honoribus &  
donis amplioribus ornare præsertī debere,  
qui ingenio illorū magis respōdeāt, Id quod  
MARGARITA quoque sic obseruabat, vt  
vel tardissimos, huiusmodi stimulis acriter  
ad obsequiū incitaret. Quæro nunc à vo-  
bis, viri Alécō. si qua est virtus, quā in MAR-  
GARITA desiderare possimus: vt non de-  
beat in laudatissimarū fœminarū ordine pri-  
mas tenere. Profer cuiuscūque ætatis ac na-  
tionis Heroides: & virtutes omnes, quibus  
immortalitatem cōsecutæ sunt, singulatim  
recensemus: si vel vnam reperies, gradu  
honoris aliquo, M A R G A R I T A super-  
riorem, fatebor equidem, laudes quas illi tri-  
buimus, ex animi potius adfectu, quām ex  
veritate ac iudicio proficisci. Obtrudentur  
fortasse nobis clarissimæ illæ Amazones,  
quibus virilia certè pectora, ob res præclaræ  
ac fortiter ab illis gestas, famam nominis  
æternā & immortalē peperere. Penthesile  
am dices & Hippolytam Amazonum: Ca-  
millam, Volsorum: Zenobiam, Palmyreō  
rum: Artemisiam, Carię: Tomyrim Scy-  
tharū, Reginas fuisse: quæ, vt sexu & digni-  
tate MARGARITA E pares fuere: ita fa-  
ctorū

## F V N E B R I S ORATIO. 95

ctorum gloria, superiores illa extiterūt. Dic quæso, quo virtutis gradu, M A R G A R I T A M, illustres illæ fœminæ præcesserunt: ut fateamur, præponi omnibus eā non debere, quævel superiores, vel saltem nō inferiores habuerit. Amazones legimus, quo expeditiores ad pugnam conserendam esset, dextrâ sibi mamillâ inurere solitas. MARGARITA noxios omnes adfectus animi amputauit: quæ membra longè satius est recidere, quam vel mammae, vel reliqua corporis membra: propterea quod nisi quam ocyssimè amputentur, animi simul & corporis discrimen vertitur. Amazones armatis equis insidebant: ac illos nouerant, quantu[m] uis ferocitate exultantes, & sessores excutiētes, flectere ac frænare. MARGARITA, partem illam Animæ, Spiritui indefinēter rebellantem, recalcitrantem, frænum mordentem, contra stimulum recalcitrantem, Ratione, quam Fides in ea illustrarat & confirmauerat, compescuit, frænauit, domuit. Amazones loricatæ incedebant, set non semper tamen: ut interim taceā, alias inermes deprehensas, alias, quantumlibet armis fulgerent, gladio per pectus transfixas fuisse.

m iij. MAR.

M A R G A R I T A nunquam non armata fuit: set pro gálea, Spem gerebat: pro loca, Fidem: pro scuto, Veritaté: pro gladio, VERBVM DEI: atque his armis cōtecta, nullo telo potuit tráfforari. Amazones gladiū in hostes strinxere, exercitus strauere, Reges vicere, cepere, vīctorū capita amputauere. MARGARITAE intestinū bellū intercessit cū hoste illo, quē nobiscū omnes circumferimus, nimirū cū Carne: cuius exercitus prauæ cupiditates, atque impij & prodigiosi adfectus sūt: ac reliqua veteris Adami opera. His accedit calliditas & versutia insidiosi Regis, hōc magis timēdi, quòd pietatis prætextu ad impietatem nos sollicitat: regis inquam, nempe Satanæ, quem Dominus ipse, Principem mundi huius nominat. His duobus de victoria diffidentibus, suppetias occurrit Mundus: qui maximum & fortissimum exercitum ex delicijs ac voluptatibus conflat & conficit. Hos omneis aduersum se turmatim coorientes, educito gladio, MARGARIT Afudit, fugauit, exarmauit: atque hodie in cœlo, de illis amplissimè & honestissimè triūphat. Quis gloriosiorem victoriā consequi optaret? Non nego equidem

dem pulchrū & laudabile esse, si quis hostis  
imperium fortiter sustinuit, vrbes expugna-  
uit, finitos in suam ditionem subegit, im-  
perij sui fines dilatauit, ex regibus captiuis  
triumphum egit: set longè honorificentius  
est, seipsum viciisse, ac noxias cupiditates ani-  
mi omnes, victori Spiritui subiecisse. Qui  
enim vitijs ac cupiditatibus obsequitur, vt vt  
vrbes expugnet, ac sibi homines subigat,  
turpissimæ tamen seruituti mancipatus est.  
Set iam mihi, viri Alenconiensis, maleuolo-  
rum quorundam hominum susurrationes  
audire videor: qui grauiter & acerbè ferunt,  
quòd nos ita MARGARITAM sumis lau-  
dibus, quantumlibet illæveræ fint, vsque ad  
cœlum efferamus. vt autem eas obterere, at-  
que inuidiæ & obtrętationis qua illos gra-  
uamus, suspicionē expurgare possint, dicēt  
me non laudatoris, set adulatoris personā  
induisse, propterea quòd de MARGARI-  
TAE virtutibus multa quidem satis & (il-  
lorum iudicio) nimis certè multa diximus:  
vitia autem, quæ splendorem virtutum ob-  
scurare poterant, silētio dissimulauerimus.  
Præter ea in hoc me reprehendere conabū-  
tur, quòd quum debeat, qui publicè de mor-  
n j tui

tui vita & moribus dicit, tam vitia quæ fugiant auditores, quæm virtutes quas ipsi sequantur, referre: de Reginæ nostræ vitijs, quibus Principis amplitudo ac maiestas la- befactatur, ne verbum quidem vllum dixerim. Set quam obrem Demostheni, Horten sio, Crasso, Ciceroni, atque alijs claris orato ribus, eadem culpa impacta non est? Nam quum quempiam vel laudibus celebrant, vel à periculo & aduersariorū accusatio ne defendunt: virtutes quidem illorum copiosē narrant: vitia verò vel tacent omnia, vel quoad eius fieri potest, dissimulant: aut si facere id cōmodè non possunt, purgant. Velle Plato, & cum eo Maximus ille Tyrius, in ciuitate ac republica bene constituta, de virtutib⁹ frequētem ēsse inter ciues sermonem: vitia autem ab illis ne quidem nominari. Doctor quoque noster Paulus, non solum præcipit, vt simus ab omni turpitidine quam remotissimi: set, vt ne turpitudinis etiam nomen ex ore nostro effluat. Quum enim virtus ac vitium inter se pugnēt, sint que in uicem duo contraria, perspicuum est, quemadmodum definito nigro & ostendo, albū quoque simul explicatur: ita definita virtute,

virtute, quid adpellari vitium debeat, simul  
 ostendi. Quare, quum nos M A R G A R I  
 T A E virtutes ordine suo commemorauim⁹,  
 ac eas ante Principum omnium oculos  
 amplectēdas posuimus: nōne vitia quo-  
 que, virtutibus illis contraria, fugiēda pro-  
 posuimus? Set dum tu ita M A R G A R I-  
 T A M omni genere virtutum absoluis, &  
 vitia retices eius omnia, illam Deo similli-  
 mam facis, qui solus est perfectus: atque mē  
 dacium illi impingis, quum dicat Scriptura,  
 neminem in terrisversari, qui non sit pecca-  
 tis ac vitijs obnoxius. Argutè tu id quidem  
 & rectè. Si enim MARGARITAM ho-  
 minem fuisse negarem, hoc est, cū reliquis  
 mortalibus, infirmam: & sua natura pecca-  
 tis subditam: impudens ego certè ac teme-  
 rarius essem. Imòverò ipsa quoque, si adhuc  
 nobiscum esset, illud non inficiaretur: quod  
 & palā fatebatur, & in orationibus ad Chri-  
 stum suis luculenter confirmat. Set vellem  
 equidem, vt qui vitia, virtutibus eius oppo-  
 nere & obijcere contendunt, illa nobis ex-  
 plicarēt. De leuibus credo admissis non lo-  
 quuntur, set de grauibus: quæ nec excusari  
 quidē, nec dissimulari possunt: & quorū a-  
 nij trocitas

trocitas, regio nomini turpitudinis notam inurit. Dicant igitur quæ illi talia in MAR GARITA deprehenderint: nam occultari quomodo possent? quandoquidem  
*Tanto conspectius in se*

*Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.*

Dicant, inquam, & laudibus ipsius (si possit) æternas maculas imprimat, quas eius virtutes eluere nequeat. Erat sanè (dices) MAR GARITA Aegregijs animi dotibus ornata: verum grauitatē perpetua constātia nō roborabat: erat enī plus satis credula, ingeniū que habebat adeò versatile, vt Euripum effedixisses. His accedit, quod complures, rebus, auxilio, fauore, gratia, fouit: quorū alij in violatæ, alij in neglectæ religionis susptionē venerat. Sunt enī hæ obtrectatorū voces. O accusatores vehementes & molestos! nōne hęc mēdacia, viri Aléconiēses, aculeos reliquerūt in animis vestris? Set nos falsa huiusmodi crimina, quæ maledici homines, quas ienenata quædā tela, in MARGARI TAM iaciunt, nullo negocio excutiamus. Credulitatem ego certè, cùm in omnibus prorsus hominibus, tūm in Principibus maxime, Philosophi ac boni planè omnes viri dānandam

## F V N E B R I S , O R A T I O .

101

damnandam censuere. Plato inconstantię matrem: Cato verò in Plutarcho, malorū fontem, credulitatem adpellat. Solomon quoque leuitatis esse argumentum scribit. Quamobrem satis perspicuum est, eos qui sese credulos præbent, vt plurimum animo minus constanti ac voluntate parum firma esse. Quòd si hoc tibi in M A R G A R I T A concederem (quod facere non possum) cur tu mihi vicissim excusari in ea posse non faterere? Habéda enim sexus ratio est, quem varium & mutabilem poeta, Petrus autem Apostolus fragile ac infirmum vas esse, scribit. Set quis vnquam fuit omnibus numeris tam absolutus, cuius vitam aliqua nubecula non offuscarit? Qui vnquam Principes fuere Alexandro & Cæsare fortiores: at ille vinolentia tamen, hic ambitione immoda suo nomini labem adspersit. Socrate nihil sanctius, nihil prudentius: at qui timidi tatis vitium non effugit. Eius discipulus Plato, parum pudici amoris suspectus fuit: illud usque auditor Aristoteles mollitiei negat, non euitauit. Catonis grauitas ad sui obiectum uātiam omnes perpulit: verūm nescio quid eius amplitudini detractū est ex cōpotatiōn iij onibus.



onibus quas in multam noctem protrahere solebat. Patriæ patri, ac Romanæ libertatis vindici Ciceroni, virtutis & eloquètiæ gloria clarissimo viro, obiectu fuit, quòd sellis duabus federet: in quo inconstatiæ notabatur. Quòd si omnes & Prícepes & Imperatores, & Philosophos atque adeò illustres, cùm viros tūm fœminas in medium proframus, ne vnum quidem reperies, quivnde cūque fuerit absolutus. Solomō diuina sapiētia præditus erat: & Dauidē Dominus ipse seruū vocat suū. fœda tamē mulierositas, illū in idololatriā, hunc in adulteriū homicidiū mque impulit. Quinimo Petrus ille A-  
postolus, tametsi Dei Spiritum haberet, Ecclesiæ que Christianæ Príceps futurus esset, in reprehensionē tamen incurrit. In sūma, quis fuit vñquam pietate, fide, saceritate, virtutibus planè omnibus adeò insignis, vt crimed aliquod non fecerit? Id si ita non esset, frustra clamaret Scriptūra: Vanitatj nos omnes esse obnoxios: omnes à recto declinasse: nec vnum quidē esse, qui bonū agat. Quòd si omni prorsus vitio careremus, quam obcaussam nos Dominus orare præciperet, vt noxæ nobis nostræ non secus dimittantur,

ac

F V N E B R I S O R A T I O . 103

ac proximorū in nos offendentes condona-  
mus? Quæ nō ita dico, vt intelligamus, acer-  
ba quidem & nefanda vitia, aliorum crimi-  
nibus excusari posse: neque interī pro no-  
stra virili eniti nos & contendere debere, vt  
vita nostra delictis quamminimè labefac-  
ctetur: set vt ostendam culpa non vacare il-  
los, qui in Regina nostra, quod prestare ne-  
mo hic valeat, requirunt: qui que quum ad  
sua tubera cæcutiant, ad verruculas aliorū  
funt oculatissimi. Ut nos itaque ad M A R -  
G A R I T A M nostram redeamus, tametsi  
iure negabimus, incōstantiam quæ illi à ma-  
ledicis exprobratur: & quod illi in crimen  
vertunt, ad sexus naturā relegare possimus:  
tamē quod illi leuitatē nominat, nos cādo-  
rē & (vt cū Scriptura sācta loquamur) simpli-  
citatē fuisse dicemus. In Genesi, Jacob à  
simplicitate commendatur: & nobis Hio-  
būs proponitur simplex & rectus. Scribit  
quoque Solomon, iustū in simplicitate hic  
vivere, ac in simplicitate cordis Deum quæ-  
rendum esse. Clamat Dauid: Dominū cor-  
dis simplicitatem diligere. Paulus etiam Co-  
rinthijs scribens, gloriatur se in simplicita-  
te, non in carnali sapientia in mundo ver-  
n iiiij satum.

satum fuisse. Porrò simplicitatē illā cordis,  
pro candore interpretatur: quum ijsdē Cor-  
inthijs Macedonum commendat charita-  
tem: quod quanuis diuitijs non adfluerent,  
tamen Ierosolymitanis, simplici animo, nē  
pe ingenuo & non fucato, necessaria sup-  
ditassent. Eandem quoque virtutē Hiobus  
extollens, scribit, Deum simplices nunquā  
destituere, nec à se arcere: malignis autem  
nequaquā manus adiutrices dare. Set quorū  
sū hæc omnia, viri Aléconiēs? nisi vt perspi-  
cuè ostēdamus, quā maledici in MARGA-  
RITA inconstantia mutabilitatē mē-  
tis nominauere, nos iure simplicitatem ad-  
pellare, hoc est ingenuitatē candorēmque  
animi, nihil malitiæ, nihil perfidiæ, uihil do-  
li cogitantis. Set vnde cādor ille, nisi ex cha-  
ritate? Charitas enim (vt ait Paulus) nō co-  
gitat malum, neque maligna est. Quū enim  
aliena ingenia ex suo ingenio MARGA-  
RITA metiretur, facilē profectō sibi impo-  
ni patiebatur: facilē fallī se & decipi sustine-  
bat, que neminem fallere voluisset. Est autē  
Principibus & potentibus viris hoc peculi-  
are & quasi congenitum, vt ijs facilē credāt,  
quorum consilio & prudentia reguntur: ac  
proinde

proinde si quid aliquando contra boni Prí-  
cipis officium agant, quāquam non sint in  
totum excusabiles, est tamen id illis impu-  
tandum, quos à latere, ab auribus, à consilio  
habent: velut illis tribuendum putabimus,  
si prudēter, si recte, si pro veri Principis offi-  
cio imperium suum gubernabūt. Set quid?  
(dicet fortassis maledicu s) simplicitati ne il-  
li tuæ atque animi candori tribues, quod  
MARGARITA perhumaniter eos exci-  
peret, qui de fide ac religione nostra minus  
christianè sentiebant? Illud ego quidē nec  
dico, nec tibi etiam concedo. Quisquis autē  
erit, qui notam illā MARGARITAE in-  
urere tétabit, is aut ipsam nō nouerit opor-  
tet: aut est mortalium omnium impuden-  
tissimus. Set fingamus ita esse, vt nonnul-  
los ipsa iuuerit, quorum finis & exitus, il-  
lorum impietati testimonium præbuit: nū-  
quid ex eò colliges, impiam quoque fuisse  
illam? Atqui iubet Iohannes, ne ex legibus  
ac impijs, sanam doctrinam non adferenti-  
bus, domus pateat nostra: imò vero ne salu-  
té quidē illis dicamus: quod qui fecerit, cō-  
municat operibus eorū malis. Verè id pro-  
fectò & christianè. Set si quis ad te venit, cu-  
oj ius

ius tu mores nondū explorasti, illū ne à colloquio arcebis tuo? Id si feceris, præterquā quòd inhumanitatem tuam prodes: fratrē etiam tuum, contra Christi prohibitionem secundum aspectum iudicabis. Quòd si eū in domum tuam receperis, ac illum perspexeris, sermone, scripto, moribus, christianā pietatem referre: an ipsum à tua familiaritate disiūges? an illi domo tua interdices? an illi denique dicā impinges, priusquam latetem in corde impietatem in publicum despromperit? Id te nec arbitror facturū: nec in alio, si faceret, probaturum esse: cur tu igitur in MARGARITA damnabis? Erat ipsa mortalium omniū humanissima & liberalissima: cuiuscunque ordinis ac nationis homines ad colloquiū admittebat: à doceo & familia sua arcebatur neminem: si quid rogaretur, eum qui rogareret, repulsā accipere nolebat: quid mirū si inter natione, ordine, professione tā dissimiles, morū quoque & opinionum dissimilitudo intercessit? Set nullos officiosius amplectebatur quam doctos viros: eos præsertim qui cum eruditione pietatem coniunxerant. Probabat quidē omnium doctrinam & mores: set cū Apostolo;

stolo, quod bonū erat tenebat . quūmque spiritus hominum examinasset, quo se ex Deo esse constabat , materno illos adfectu complectebatur. Set si qui Dei non erant, hoc est, quorum facta cum verbis pugnabant: quorum vita plena erat offendiculi : quorū doctrina, Dēmoniorū adflatus erat, nēpe doctrina impia, sacrilega, rei ciēda: vbi eos acriter obiurgauerat, vbi tota re errare ostēderat, vbi denique ad veritatem per humāniter reuocare tentarat, si ad se se redire nō iuissent, ex Pauli præscripto, hæreticū post vnam aut alteram admonitionē euitari iubetis, quāocyssimē illos domo, familia & cōsuetudine sua excludebat. Quòd si tu me à veritate aliena dicere existimas, audiāntur MARGARITAE domestici, audiātur tot ac tanti viri, qui penitus illam cognouerāt: sunt enim illi locupletissimi & certissimi testes eorum, quæ vobis dico. Quòd si satisfaçtere ipsi non possunt, testimonium cum il lis M A R G A R I T AE vita perhibebit: quæ, cùm dictis tum factis, singulare ad pietatem cultūmque religionis , exēplum dabit. Si autem neque homines, neque vita eius, obstinatæ maledicentia blaterones, de o ij sen-

sententia dimouere queūt, scripta eius habemus, quæ malignos, non calumniæ tantum, set & amentiæ conuincat. Nam, quampiè, quam sanctè, quam religiose de fide Christiana sentiret, ipsa adeò loquutur: ut qui id negabit, non inscitiam solùm, sed impietatem quoque suam abunde testabitur. Quæ quidem omnia, si nondum ab animo tuo semel conceptam & infixam raditus sinistram de MARGARITA opinionem dispulere: vel hoc vnum negare nō potes, quod Iohannes scribit: Beatos esse illos, qui in domino moriuntur. Set qui ita moriuntur, nisi qui fatentur, IESVM esse CHRISTVM, filium Dei: cuius sanguine à sordibus planè omnibus purgati, atque patri Deo reconciliati, ac per fidē in filios ipsius adoptati, cœlestis hæreditatis, nempe vitæ æternæ, hæredes scribimur? Set Iesum illum sic adserere, vnde nobis datur? nō id ex Philosophorum certè præceptis, non ex Sophistarum contentionibus, non ex iudicio carnis, non ex hominum statutis, nō ex humana denique sapientia haurimus. Docet quidem Scriptura sancta, quid de I E S V C H R I S T O persuadere nobis ipsi debamus:

beamus: verūm vt illud persuasissimum sit,  
 solus confert, de quo Paulus ait: Nemo po-  
 test dicere I E S V S C H R I S T V S, nisi  
 à Spiritu sancto. Quod quum ita sit, quæro  
 à vobis, viri Alencon. si nihil est C H R I-  
 S T O C um Belial , nihil luci cum tenebris  
 commercij, an Spiritus ille sanctus animos  
 eorū occupabit, qui Athei , qui Anabapti-  
 stæ , qui Iudæi , qui Gentiles , qui hæretici  
 sunt? Quid nos itaque de M A R G A R I-  
 T A iudicandum putabimus, cui quum gra-  
 uis morbus quo ægra erat , tres prope dies  
 antequam hinc decederet, illi sermonē in-  
 clusisset, atque ubi animam efflare voluit,  
 restitutus ei fuisset, moribuda voce clama-  
 uit: IESVS, IESVS, IESVS, cùmque hæc  
 dixisset, Spiritum emisit. Quod si IESVS  
 in intimo cordis eius recessu infixus nō fuis-  
 set: si IESVM per fidem non adprehendis-  
 set: si spem salutis suæ in IESVM non desi-  
 xisset, quomodo Spiritus eius , talē vocem  
 per sui corporis organa edidisset? Credibi-  
 le est itaque , Spiritum illum sanctum mo-  
 riæt̄ adstitisse : quod quū infidelibus ac re-  
 probis non detur, set electis solùm ac piis:  
 nunquid iure clamare possumus: BEATA

o iiij MAR

HO: IN OBITVM REG. NAVAR.  
MARGARITA, QV AE IN DO-  
MINO MOR TVA EST. Dicam  
& vobis aliud, viri Alencon. quod maximè  
confirmet, Spiritū sanctū morienti M A R  
GARITAE non defuisse: qui & F R A N-  
CISCI fratris mortem illi adnunciauerat:  
& suam quoque ipsius, priusquam decubet-  
ret, prædixerat. Erat enim tum M A R G A  
R I T A Thussoni, quando F R A N C I-  
SCVS è medio sublatus est, cuius mortem  
nemo erat qui renunciare illi auderet. Nā  
tam arctum inter eos necessitudinis frater-  
nē vinculū erat, vt nec maiorū nostrorum  
nec nostra etiam memoria, secundum vel  
auditum vel visum fuerit. Rogarat toties  
eam frater per literas, paulò antequam ipse  
decederet, vt in aulam sese reciperet: quo  
qui semper fuerat animorum nexus indisso-  
lubilis, corpora dissolui nō sustineret: atque  
vt simul in mūdo educati, simūlque institu-  
ti fuerāt, ita simul è mundo tollerētur. Cæ-  
terūm, quo die F R A N C I S C V S nobis  
sublatus est (id enim postea mihi ipsa nar-  
rauit) visa sibi est in somnis illū intueri pal-  
lidum, & gemebunda voce Sororem adpel-  
lantem, vnde nescio quid sinistri quidem  
ominata

EVNEBRIS TORATIO. m  
ominata,misit in aulam complures Cursores, qui de Regis fratris valetudine percontarentur,& vt sese haberet, illi renunciarēt: verū redibat nullus. Quadam autem die, quum rursus inter dormiendum , frater illi adparuisset (agebatur autem quindecimus dies, ex quo fatis ille concesserat ) à domesticis petiuit , quidquā ne ipsi de Regis valetudine accepissent:quūmque respondissent , audiuisse se perbellè illum valere: Tēplum adire voluit. Inter eūdum, Thomam Custellarium, optimæ fidei ac perspicacissimi ingenij adolescentem, Secretariūmque suum accersit: quūmque illi literarum argumentum recitaret , quas ad Principem quandam aulicam statuebat scribere, vt ex ea intelligeret, qua esset frater valetudine: ecce in altera claustrī parte ; quædā eius sodalitij, quæ cerebro laborabat, gemere , ac lachrymas emittere audita ēst. MARGARITA, vt erat natura sua ad cōmiserationem propensissima, illuc festinat: quam obcaussam fleat, rogit: si quid velit , vt postulet cohortatur. Illa tum lamentis magis ac magis se dedere cœpit: ac reginā intuita, se dixit casum ipsius deplorare . Hæc vbi

M A R G A R I T A audiuit, ad suos conuersa: Vos me, inquit, de Regis morte celeratis: sed Spiritus Domini, per insanam istā mortuū esse illū mihi reuelauit. Quum autē hæc dixisset, in cubiculum suum reuersa, nihil prorsus egit muliebre ac effeminate: set in genua procumbens, gratiam habuit Deo maximam, pro singulis eius erga se beneficiis. Porrò paucos etiā ante dies quām decumberet (quod nos ab iis accepimus, quibus MARGARITA retulit) ei visa est in quiete egregia facie fœmina dicere: fore ut breui coronam indueret, quam ex omnī generis floribus confectam, illi ostentabat. Non ignorabat ipsa, ea interpretacione explicādum sibi somnium illud non esse, vt paucis diebus interire deberet: set nō vsque adeo tamen contempsit, vt quid portederet, apud se non cogitaret: ac coronam illam, pro æterna beatitudine interpretata est. Ridebunt ista superciliosi censores nostri, ac dicēt: & superstitionem fuisse MARGARITAM, quæ somniis fidem habuit: & nos Sanniones esse, qui talia de illa recitemus. Set, aut nobiscum Christiani sunt, quibus hæc ludibrio erunt, aut Philosophi, aut

aut planè Athei ac exleges. Quòd si ex illo-  
rum sunt numero, qui religioni nostræ pa-  
rum admodum tribuunt, ac philosophicis  
eam traditionibus postponendam iudicat:  
respondeant igitur, quid de Platone, de A-  
ristotele, de Cicerone, de Valerio Maximo  
censeant: quorum scripta de huiusmodi di-  
uinatione, recepta à maioribus nostris, & no-  
bis quoque tradita extant. Vult me Philoso-  
phus eò impellere, vt credam, vanas ac futi-  
les non esse diuinationes somniorum, quo-  
rum disciplinam eventus ac res compro-  
bant. Porro vt id melius persuadeat, profe-  
ret duorum Arcadum exemplum, quorum,  
qui ad cauponē diuerterat, visus est in som-  
nis ei, qui erat in hospitio, illum orare, vt  
mortem suam ne inultā esse pateretur, in-  
terfectū se à Caupone, in plaustrum conie-  
ctum, ac stercore tectum esse: quod ita qui-  
dem ille, mane deprehendit. Id si credibile  
est, quare non credam, potuisse FRANCIS  
CVM, in quiete, MARGARITAE so-  
rori, mortem suam nūciare? Rutilia Sparti-  
atā proditum est, quum maritum in bellū  
profectum, multos menses expectasset, nec  
aliquid de illo resciuisset, quadam die à fo-

ro domum reuersam , caniculam quam in deliciis habebat, tristem ac gemebūdam offendisse : ac ex eo mariti mortem, quam postridie audiuit, diuinasse. Id si me vis credere, cur non etiam credam, insanam illā mulierem, M A R G A R I T A E, fratriis mortem significare suis lachrymis potuisse? Appud Platonem Socrates , quum in publica custodia esset, vidissétque in somnis, forma & specie liberali fœminam sibi Homerium illum versum dicentem,

*Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit:*

Critoni familiari suo, sibi post tertium diem esse moriendum prædixit: atque ut dictum est, ita scribitur cōtigisse. Si me Platonicus, hæc ut credam impellere conabitur, fateatur necesse est, fœminam illam, quæ in somnis M A R G A R I T A E dixit, breui coronæ ei quam ostentabat, induendam esse: de corona vitæ intellexisse, quam esset mortuo corpore susceptura. Quod si cū Christianis viris negocium nobis erit, eos nō puto negaturos, consueuisse Dominum, quandoque in somnis, quandoque etiam per externa signa, volūtatem nobis suam significare: & quid nobis futurum sit, reuelare. Vacauit ne myste

mysterio scala, quam in somnis Iacob vidit? Ioseph quoque somnia, vanā ne & cōtemnenda, an diuina potius fuere? Quod in quiete Dominus, Abimelech, quod Prophe-  
tis, quod Ioseph viro Mariæ, quod Magis etiam locutus est, quām verū & planè diuinum fuerit, exitus ipse satis testatur. Dices vera nō esse omnia, quæ nos somnia nomi-  
namus: fateor id ego equidem tecū: ac ob-  
scura quoque multa esse dico: set sunt etiam  
vera pleraque, quæ iis qui illa bene obser-  
uant, incredibilia carnis iudicio, adnūciant.  
Somnia obseruari Dominus prohibet: set  
somniorum quoque interpretationē ei re-  
linquēdam esse, Scriptura clamat. Nō sunt  
itaque obseruāda, quæ in non satis integra  
quiete obueniūt: nempe (vt in Platonis po-  
litia Socrates ostendit) quæ, qui vino & ci-  
bo onusti sunt, perturbata cernunt & confu-  
sa. In obscuris autem, ad Spiritum sanctum  
recurrentum est: qui quum nostro Spiritui  
testimonium ferat, filios Dei esse nos: haud  
dubie, in anxiis ac incertis rebus, attonitos  
nos & turbatos non est relicturus. Quod au-  
tem ad Epicureos & Atheos pertinet, quid  
de somniis ipsi sentiant, non est quærendū;

p ij quan-

quandoquidem (vt Cicero scribit) sentiunt nihil vnquam elegans, nihil decorū. Quum enim animis nostris diuinitatem prorsus omnem auferant, in eis præfigationem extrinsecus iniectam, atque inclusam diuinitus esse negabunt. Set eos Philosophi, Platon & Socrati non anteponēt: Christiani Scripturæ sacræ non præferēt: boni autem omnes & iudicio aliquo prædicti viri, vt insanos illos ac furiosos adsperrabuntur. Non est itaque absurdum, quod MARGARI TAM diximus, ex suo somnio, propinquā sibi mortem diuinasse: quum euentus rei satis id postea confirmauerit. Nam ex eo tempore, bona sua abdicauit omnia, & Regi amato, pro suo arbitratu disponenda reliquit: domesticas occupationes, contra morem suū neglexit; de aliorum rebus ac negociis cognoscere amplius noluit: à solitis scriptiōnibus animum reuocauit: omnia cœpit fastidire: de iis autem quæ futura post mortem suam esse præuidebat, ad eos scripsit, quorū intererat: quūmque rebus ita suis omnibus prouidisset, nouissima valetudine dies viginī conflictata, xi<sup>o</sup>. Calend. Ianuarias, Odosij Tarbellorū, sub quinquagesimum nonum

nonum ætatis suæ annum, è vita discessit.  
 Quæ nos hactenus de MARGARITÆ  
 virtutibus, pro quantulacunque ingenioli  
 nostri facultate diximus, vos omnia, viri A-  
 lencon . in Principe vestra perspexistis: &  
 me vera dixisse, vestro magno commodo  
 estis experti. Nunc, incomparabilem illum  
 thesaurum morte vobis ademptum , dole-  
 tis: facítque id vobiscū Gallia vniuersa: nec  
 sanè iniuria. Quum enim nobiscum illa vi-  
 ueret, quām esset nobis omnibus necessa-  
 ria, non planè cognoscebamus: at hodie, &  
 agnoscere cœpimus, & ante paucos an-  
 nos magis ac magis experiemur. Nam, quē  
 admodum, qui nobilem Smaragdū aureo  
 annulo inclusum gestat, quātumuis suo in-  
 tuitu oculos eius impletat, nec satiet, non ta-  
 men prius sentit, quantum adiumenti gra-  
 tiosa eius viriditas adferat, quām quum è lo-  
 co suo exiliit: tunc enim, nō vidēs amplius  
 obiectum illud, quo acies oculorum recrea-  
 batur, perditam gemmam deplorat, quæ il-  
 li, quum præsens esset, vilescebat. Ita bono-  
 rum certè ac virtute præstantium, tantisper  
 dum nobiscum versantur, atque ipsorum  
 opera utimur, utile esse nobis præsentiam.

quadantenus agnoscimus: set, vbi fato sub-  
lati sunt, aliquanto pōst testificatur eorum  
absentia, quantum illi reipub. dum viuerēt,  
prodeffent. Quod quum verū sit, illos ip-  
pos interrogemus, quos MARGARITA  
suo fauore prosecuta est, sua autoritate iu-  
uit, sua liberalitate subleuauit. Quot vidu-  
as, quot orphanos, quot egenos, quot adfli-  
ctos, quot senio confectos, annua pensione  
sustentabat: qui hodie, tanquam oves per-  
cuso pastore, hac atque illac dispersi, ad  
quem se recipiant querunt: bonorum viro-  
rum auribus opplorant: grauem suū & mi-  
serabilem casum deflent: at nulos interim,  
aut certè paucos reperiūt, qui acerbitatem  
luctus ipsorum, consolatione leniat. Quòd  
si illi, quorum rebus, M A R G A R I T A E  
mors irreparabile incommodum ac detri-  
mentum importauit, mœrore & fletu con-  
senescere deberent, mœstitudinem ego ve-  
stram, viri Alencon. orationis lachrymis  
adiuuarem: quandoquidem nulos video,  
quos magis oporteret mœstos & sordida-  
tos incedere, quām vos: qui Principem amil-  
sistis, quæ vos amore ac beneuoleūtia arctif-  
simè complectebatur: ac de rebus & cōmo-  
dis

## F V N E B R I S O R A T I O .

119

dis vestris, æquè atque de suis sollicita erat. Amicitiam vestram, vicini omnes vestri, dū illa viueret, ambiebat: neque vlla erat apud Gallos natio, quæ Alenconiorum nomen non reuereretur: non ob aliud certè, quām quòd vos MARGARITAE sciebant esse charissimos: quæ si aliquā accepissetis iniuriam, sibi factā duxisset. Nunc, & in vos vicini vestri incurrunt, & cæteri propè omnes despiciatū vos ducūt: quandoquidem sciūt anchoram vestram præcisam esse. M A R G A R I T A, Senatum vestrum languentem, ad pristinam virtutē reuocauerat: frēquétem illum in vrbe vestra fecerat: hodie vnā cum eius corpore extintus est. M A R G A R I T A E opera, amissam libertatem receperatis: ac illā (dum ea vixit) retinuistis: hodie adēpta vobis illa, & aliò detrusa est. Atque, vt vno verbo calamitates vestras omneis complectar, mortua M A R G A R I T A, omnes simul Alenconiorum spes atque opes conciderunt. Hæc ego quum dicō, atque in memoriā incurro, cùm priutarum, tum publicarum miseriarū, in quas nō MARGARITAE mors cōiecit, vix mihi certè temperare quo, quominus in la-

p iiii chry-

chrymas effundar. Nam præsagit animus,  
longè grauiora capiti nostro mala immi-  
nere, quæ MARGARIT AE præsentia re-  
tardabat: nisi Dominus, illa pro sua pietate  
à nobis arceat. Sed quid proderit, nos la-  
chrymis & lamentis muliebriter dedere?  
Non nego equidem, hūmanitati condonā-  
dum esse, vt, qui suis affectibus orbatur, nē-  
pe, qui vxorem, patrem, matrem, fratres, li-  
beros, amicos, & quæcunque habet charissi-  
ma, amiserit, cōmoueatur & doleat: set tale  
profectò temperamentum in luctu nostro  
adhibendum est, vt ethnicis ac gentilibus,  
& impiis etiā ac exlegibus, qui religionē no-  
stram ludificant, omnis prorsus ludibrijs, &  
calumniæ occasio tollatur: atque dolor no-  
ster Christianismum spiret. Quibus M A R  
GARITA sublata est, reliquit Mors moe-  
stitudinis amplam materiā: set cur ita dei-  
ciétur animo, quim nec dolor, nec lachry-  
mæ, nec eiulationes, remedium istis malis  
adferant ullum? Non dubito, quin ipsa ex  
morbo decumbente, quo extincta est, si li-  
cuisset salutem eius morte redimere, com-  
plures id fecissent, quod pro Admeto Alce-  
stis fecit. Hodie quoque, si à Deo impetrare  
posse-

possemus , quod apud Poetas Laodamia  
suis lachrymis exorauit, vt in solarium mœ  
roris, MARGARITAE mortuę vmboram  
videremus: credo ego certe non defuturos,  
qui, vt illa in Protefilai, sic in eius amplexi-  
bus, spiritum emitterēt. Set , quum talia nō  
debeamus nō solūm à Domino petere, ve-  
rū ne cogitare quidē, quid nobis faciēdum  
restat ? Euadnen imitabimur , quæ quum  
Capanei viri sui celebrarentur exequię, sese  
in eius rogum coniecit? An, quod Cleopa-  
tra mortuo Antonio, quodque M. Plautius  
fecit, dum Tarenti, Orestillæ vxoris paren-  
talia fierent, nobis manus inferemus? Forte  
igitur ac nobile facinus Portiæ illius seque-  
mur, quæ Bruto extinto, se haustis carbo-  
nibus suffocauit. Hæc si nos faceremus,  
quid de nobis daremus iudicādum? quis in  
nobis mentem, iudicium ac rationem non  
desideraret? Dices forsan, nobis in corpora  
nostra non esse sœuiendum : set hoc saltem  
tibi dari postulabis, vt vestigia sequaris Ar-  
temisiæ, quam legimus, morte Mausoli viri  
sui, adeò commotam fuisse , vt incōsolabi-  
li dolore contabuerit. Sed vter magis cor-  
pori parcit suo, qui currit ad laqueum , an  
qj se

qui se diu noctūque suspiriis , mœrore ac  
tristitia conficit? Verūm, nos ista meditan-  
tes , Apostolus Paulus reuocat:quum eos  
ait, ignorantia cum Gentibus obcæcatos es-  
se,& spe decidisse:quorum animus ,ex mor-  
te suorum, immodico luctu , atque acerba  
mœstitudine obnubilatus,dolore deiicitur,  
consternatürque. Quòd si M A R G A =  
R I T A E mortem nobis deflendam puta-  
mus ,sequamur igitur Antonini Pij exem-  
plum,qui Faustinæ vxori vita functæ, diui-  
nos honores instituit : ac ei statuas erexit.  
Defleamus ergo illam,sicut Antimachum  
poetam Græcum, Lysidicen vxorem fleuis-  
se legimus:nimirum flebili elegia, quæ vir-  
tutes ac laudes ipsius cōtineat. Quanquām  
tamen ,neminem puto , vel in dicendi fa-  
cultate tam feliciter versatum esse, vel ad.  
Homericam dignitatem, aut ad Maronia-  
nam grauitatem,tam prope vñquam acces-  
fisse,vt melius possit M A R G A R I T A M  
ad viuum pingere,quām suo se ipsa penicil-  
lo pinxit:nimirum scriptis suis , ingenium,  
eruditionem,pietatem,ac mores planè eius  
sic referentibus,vt iam non sit opus statuas  
illi erigere,quæ sese toti mūdo satis confipi-  
cuam

cuam ac imitandam reliquit: nec diuinis il-  
lam honoribus prosequi, quæ & omni ho-  
nore maior est, & hodie ea diuinitate per-  
fruitur, quam Deus opt.max.sibi fidetibus,  
post mortem in regno suo largitus est.  
Quid putas illa tibi diceret , si te muliebri-  
bus lachrymis se deflentem intueretur? No-  
uerut ij, qui sermones eius audiuerut , quos  
de Animæ immortalitate, ac de cœlesti bea-  
titudine, paulò antequam è mundo dece-  
deret, habebat, quām parum mortē formi-  
daret: quāmque hilari & læta facie illā ex-  
pectaret, quam in procinctu esse persenti-  
scebat . Imò verò mortem amplecti vide-  
batur, vt auspicatum aliquod nuncium: at-  
que aduentui eius non minus congratula-  
batur, quām suæ libertatis vindici. Iam, cur  
id nos MAR G A R I T A E inuidemus,  
quod ardentibus votis exoptarat : quód-  
que vbi consecuta est , incredibilem animi  
lætitiam præ se tulit? Si nobiscum adhuc il-  
la viueret, & malis multis iactaretur, mole-  
sté ne ferres, ab illis eam liberari? Atqui, Eu-  
ripides scribit, Mortem maximū esse ma-  
lorum omnium remedium: Aeschylus, so-  
lam esse ait, quæ malis insanabilibus me-  
q ij detur.

detur: Cicero abductricem à malis vocat.  
Quid auté hic mundus aliud est,quām ma-  
lorum immēsum mare? Nunc itaque,quū  
malis omnibus liberata M ARGARITA  
sit , quid nos malis iterum illam implicari  
desideramus? Quum eam videbas in lecto,  
cum morbo cōflictantem, nonne voluisses  
Hippocratem aut Galenum reuixisse, qui  
sanitatem illi restituisset? Mors,quam So-  
phocles vltimum morborum omniū me-  
dicum adpellat ; votis tuis affatim respon-  
dit: quid tu amplius doles, eam morbo om-  
ni releuatam esse? Quòd si superstes adhuc  
esset , & clausa in aliquo carcere teneretur:  
an illi liberatorem inuideres? Themistius,  
animam dicebat,in corpore præter naturā  
ligatam esse: ac vitam à vi deducebat : pro-  
prerè quòd, vi ac vinculis in corpore reti-  
neatur. Et Cicero, corpus nostrum animæ  
carcerem vocat: quòd animus, quum à cor-  
pore discedit suo , tanquam è carcere solui-  
tur. Itaque , dolere M A R G A R I T A E  
mortem,nihil profectò est aliud, quām illā  
cupere, perpetuis vinculis mācipatam esse.  
Quòd si vidisses illam , in mediis fluctibus  
rimosa aliqua & putri naue vectā, ventis ac  
procel

procellis agitari, ægrè tulisses, si ad portum  
ad pulisset? Sed quid est hic mundus aliud,  
quam (vt Chrysostomus ait) vesaniens ma-  
re: cottidie, cùm noua, tum horrenda discri-  
mina pariens? Omnia tumultuum & turba-  
rum sunt plena: omnia scopuli ac præcipi-  
tia: omnia rupes sub aquis latentes: omnia  
sinuosæ cautes: omnia immensi fluctus: o-  
mnia nimbosæ procellæ: omnia terrores ac  
minæ mortis. Corpus autem nostrum, cym-  
ba est fatiscens, in medio illo mari posita:  
quæ, nisi à peritissimo nauclero (nimurum  
à Gratia diuina) regatur, yna salus reliqua  
erit, nullā sperare salutem. Ab illis pericu-  
lis omnibus MARGARITAM Mors e-  
ripuit: Mors seruauit: quam ob id Sotades,  
mortaliū omnium portū nominat. Ad-  
dam, si placet, & alias aliquot rationes, quæ  
perspicuè confirment, ob M A R G A R I-  
T AE mortem potius exhilarandos esse  
animos nostros, quam tristitia & luctu con-  
ficiendos. Fingamus nos nunc eam cōtue-  
ri, postquam omnibus responsa dedit, post-  
quam mille literas sua manu consignauit,  
postquam piam aliquam & grauē scriptio-  
nem meditata est, postquam denique cùm

q iij publi

publicis, tum priuatis negotiis vacauit, in lecto iacétem: cuius anima, quæ totum dié per corpus distenta, & in sensu sparfa fuit, tanquam deposito onere, se se per dulcē somnum recreat, & in secessum abdit: ita, ut nunquam visa sit dulcius & quietius dormi uisse: quis nostrum requietē eius grauatim ferret? Quòd si Cubicularius illius, quosdā in cubiculum introduceret, qui strepitū & clamore dormientē expergefaceret, nonne maledicta in illū omnia cōferremus? nōne quiescente ipsa, silentium omnibus indice remus? nonne, ut sensim ac pedetentim incederent, admoneremus? Quām obrem igitur, hodie id quoque non facimus? Etenim si Scripturæ sacræ fidem habemus, non est MARGARITA mortua: sed dormit. Atque testis est Cicero, nihil tam simile morti esse, quām somnum. Id confirmat, quod Aristoteles de Leontino Gorgia scriptum reliquit: qui, quum morti proximus esset, ac deficiētibus illi viribus, sensim in somnum delapsus iaceret, interrogatus quid ageret, respondit: Somnum iam se fratri suo tradere. Quare, quum MARGARITA multis & magnis laboribus exāltatis, nunc dormiat,

miat, quid eius quieti obstrepimus? Nemiam vidi vñquam, qui doleret, quum profecitionē in aulam Regis fratris pararet, & se lecticæ inderet. Quid autem est aliud Mors, quam (ex sententia Platonis) permutatio quædam ac trāsmigratio animæ, ab hoc in alium locum? nempe (vt idem ait) è mūdo in cœlum: cui, soluta semel hac compage, restituitur. Profecta quidē M A R G A R I T A est in aulam summi illius, totius orbis Imperatoris ac domini Dei: cuius præsen-  
tia, in perenni gloria & beatitudine per-  
fruitur: ad quam, dū in mundo versabatur,  
toto Spiritu anhelabat. Vís ne illam è cœ-  
lo deturbare? vis cœlestibus ac immortali-  
bus gaudiis priuare? vis à tranquillitate, ab  
ocio, à libertate, à felicitate: ad curas, ad la-  
bores, ad seruitutem, ad miseriā reuocare?  
Iniuerat certè à multis iam antè annis, iter  
durum, inexplicabile, ac periculosum: nunc  
illud confecit, quo confecto, nulla iam ei  
cura, nulla sollicitudo futura est: cuperés ne  
illam, in media via defecisse? Hæc vos om-  
nia, viri Alencon. veritati consentanea esse  
non ignoratis: & mihi simul adsentietis, à  
ratione ac certo iudicio lōgè alienum esse,

q. iij. corpus.

corpus fatigare:& quum ea perdidimus, de quibus recuperandis nulla spes reliqua est, discruciar. Cuperemus certè omnes, lachry mis & eiulationibus nostris, MARGARI- T A M, in vitam reuocari: set fieri nunquā id posse, quis ambigit? Desideramus omnes eius præsentiam: ac eam vellemus diem extreum morte non confecisse: id tamē vel le non debemus. Nam, quid hoc aliud est, quām voluntati diuinę nostram voluntatē opponere: quæ tamen, illi, tanquam serua Heræ & dominæ suæ, prorsus subiicienda est? Quid nos itaque volumus, vbi volūtas nostra nihil planè potest amplius? Conclamatum est. Sed quosdam audio luctū suum defendere velle excusatione pietatis ac memoriæ: quasi nō aliter, vel illorum à nobis memoria celebretur, quām quum lachrymis illorum monumenta conspergimus. Sed sapiens non est & probabilis ista excusatio: nimirum, propter ea quòd MARGA R I T A E virtutes satis possunt animos nostros in memoriam illius reuocare. Sepulchra nos & statuas non requiri mus, quibus excitemur ut eius memoriam usurpemus: id enim illorum est, qui infixum animum in

in mortuorum amore non habuerunt. Si-  
namus igitur frigidos istos & fictos lauda-  
tores, vel sepulchris legendis, vel imaginib-  
us intuendis redire in mortuorum memo-  
riam: nos MARGARITAE scripta habe-  
mus, quorum lectione, semper in memoriā  
Reginę Nauarrorum ipsi redibimus. Quòd  
si etiam eius memoriā planè abiecissimus,  
habemus tamen aliud, quod in nobis illam  
reficiat: nimirum Principē singulari virtu-  
te præditam: quam quoties contuebimur,  
memoria imaginis M A R G A R I T A E  
oculis nostris inhærebit. Si nos rei cuiuspiā  
desiderio flagramus, eius rei nomen in ore  
nobis sedet ( illo enim recreamur ) ac si  
quid oculis nostris obuersetur, quod nos in  
illius rei memoriam redigat, eius cōspectu  
reficimur & confirmamur. MARGARI-  
TAM VALESIAM, Francisci Galliarū  
Regis Sororem vnicā, Reginam Nauarræ,  
Alenconiorum Ducem, bonarum literarū  
patronam, perfugium ac pr̄sidium omniū  
adflictorum, mortuam desideramus. Alterā  
nobis Deus reliquit M A R G A R I T A M  
VALESIAM, Francisci illius filiam, HEN-  
RICI prudentissimi ac victoriosissimi Gal-  
rj liarum

liarum Regis Sororem vnicam , bonarum  
disciplinarum studiosam, eruditoru homi-  
num amantissimam , atque omnis generis  
homines liberalitate adficiētem . Nomine,  
cognomine,sanguine,insignibus non diffe-  
rūt: magnitudine fortassis differebat, quod  
illa Regina esset,hæc verò regium nomen  
adhuc expectet:dignissima tamen quæ to-  
tius orbis Dominatori & Monarchæ alicui  
collocetur. Quod si pientissimus ille Deus,  
idipsum quod speramus omnes, & ardentis-  
bus votis ab eo postulamus, nobis largire-  
tur,vt illam ipsam coronam,quam Patria  
exuit, neptis sumeret : quid nos amplius  
**M A R G A R I T A M V A L E S I A M**  
Nauarræ Reginā desideraremus? Quæ quū  
ita sint,non video , in quo nobis Mors in-  
cusa sit, quæ **M A R G A R I T A M** no-  
bis quum sustulit , **M A R G A R I T A M** si-  
mul reliquit. Verūm subodoror, quò ten-  
dāt querimoniæ,quas vos de morte habe-  
tis,viri Alencon. nempe, quod amplius in  
mundo **M A R G A R I T A M** vestram non  
cōspicitis:quodque illā amplius nō alloqui-  
mini: set quod in sepulchro exanimis iace-  
at.Siccine igitur illam putabimus in mūdo  
amplius

amplius non cōspici, cuius Spiritus nos cōtuetur? Siccine à nobis abest, cuius scripta non minus nobiscum loquuntur, quām si nobis præsens ipsa esset? Viuere autem illā dubitas, cuius memoria nullo æuo poterit extingui? Interroga Platонem, viuātne M A R G A R I T A, respondebit: Mortē esse discessum è vita: & vitæ cuiusdā in me=liorem vitam commutationem. Dicet cum eo Maximus Tyrius, id quod nos mortem nominamus, immortalitatis initium, & futu=ræ vitæ procreationē esse: pereuntibus qui=dem sua lege corporibus: set animis ad suū locum, propriāmque sedem ascendētibus. Clamabit Cicero: Mortem migrationem & commutationem quādam vitæ, non interitum: atque in præclaris viris ac fœminis ducem in cœlum esse. Illorum sententiam Christus confirmabit: qui, quod nos mori dicimus, dormire vocat. Paulus quoque, quum nos exhortatur, ne ex nostrorū mor te tristitiam contrahamus, ac gentiū more lugeamus: satis comprobat, mortuos nō es se illos, qui è mundo decesserunt: quasi me liori vitæ restituendi non sint. Quinimo in spem nos adducit, futurum aliquando, vt rij qui

qui Christo fidunt, participes fiant glorio-  
sæ illius victoriæ, quam de deuicta Morte  
reportauit. Quæ quum ita sint, quid tu am-  
plius M A R G A R I T A E mortem luges?  
Putas fortasse, cadauer illud exangue, quod  
supinum in sarcophago iacet, MARGA-  
RITAM esse: ser non est ita. Et si enim (vt  
diuinus Plato ait) corpore & anima cōsta-  
re hominem dicamus, melior tamen ac no-  
bilior eius pars, anima est: rationis & im-  
mortalitatis diuinæ particeps. Illa in corpo-  
re tanquam in sepulchro clausa, nihil optat  
ardētius, quam ut quis lapidem amoliatur  
ab ore sui monumenti, quò in suum domi-  
ciliū, népe in cœlū, euolet. Non est itaque  
MARGARITA, moles illa carnea, quam  
exanimem cernis: inuisibilis siquidē MAR-  
GARITA erat, vt suapte natura videri spi-  
ritus non potest. Quare, quum tu eius cada-  
uer contueris, sepulchrum quidem vides,  
MARGARITA vacuum: vides M A R-  
GARITAE vestigium: vides M A R G A-  
RITÆ exuuias: nimirum corpus, quo in-  
uoluta fuit. Neque enim (vt Tyrio placet)  
corpus hoc nostrum aliud est, quam pāno-  
sa quædam, trita & vilis lacerna: quā MAR-

GA-

GARITA exuit, ad nuptiale illud conuium inuitata, quod Dominus suis in cœlo exhibitus est, ut nuptiale vestem indueret: & qua, qui fœse non ornabit, à conuiuio illo submouendus est, ac in densissimas tenebras coniiciendus. Quòd si nullum aliud restaret nobis remedium aduersus dolorē, quem ex M A RG A R I T A E morte cōtraximus, debet tamen vel hoc vnum nobis lenimento esse, quòd etiam si corpore mortua est illa, viuit tamen adhuc hodie in filia sua IOHANNA, Principe Nauarros, ac Vindocinorū Duce: quæ viuā matris imaginem sic nobis refert, vt, si Pythagoraeorum renascentiæ aliquid tribuendū sit, dicere debeamus, spiritum matris in corpus filiæ transiuisse. Non est equidē arbor mortua, quæ quantumuis excisa sit, radices tamen habet, è quibus soboles pullulat. Ita, nobis non est MARGARITA mortua, cui superstes filia est, cuius pueritiæ noua quædā & admirabilis indoles, prudētiæ, moderationis, mansuetudinis, integritatis, ac pietatis scintillas ostendebat: nūc in ea adhuc adolescentula, egregius virtutum prouentus, magnificæ spei respondet, quam pri-

mæ æstatulæ velut herba præbuit: vt verendum nobis non sit, ne publicam orbis de se spem fallat: quin expectandum potius, natu grandiore, votis omnium cumulatissimè satisfacturam. Porrò, spei nostræ, tanquā ob sidem & pignus, Natura reliquit decus illud eximiū formæ quā illi indidit: nō solū vt inter sui seculi foeminas, præstantissima & laudatissima foret: verūm, vt signū quoque esset, vires se omnes suas eò impēdisse, vt in IOHANNA, absolutissimū opus fabricaret'. Solet enim (vt Plato ait) egregia corporis species, animi pulchritudinē indicare. Neque aliud est corporis illa pulchritudo (si Plutarcho credimus) quam opus ipsius animæ, testificatis liberas se actiones in vase suo habere. Quum itaque iam sit manifestissimum, mori M AR G A R I T A M non posse, accuratè nobis enitédum est, ne lachrymis muliebriter ac effeminatè disoluti, in Stoicorum sententiam incurramus: & constantiæ fines transgressi, nostra eiulatione testemur, M A R G A R I T A E felicitatem nobis inuisam esse: atque in mentibus nostris hærere, excessu vite sic deleri hominem, vt funditus intereat. Qui enim int

tam

tam magnos luctus ex suorum morte inciderunt, ut malint æterno mœrore tabescere, quām positis ante oculos cōmodis, quæ & multa & magna secum mors adfert, consolationem admittere: iij certè, cum Epicureis, nihil esse putant quod non videtur: ac simul non credunt, animas extare semotas à corpore. Sed quum longè aliter sentiant, & melioris notæ Philosophi, aliique omnes qui aliquid iudicij habent, & qui sunt apud C H R I S T V M professi, pellamus queso mœstiam ex animis nostris: quūm que nobis indubitatum sit, nullo fauore, nullo prelio, nullis precibus, nullis denique artibus, mortem euitari posse: mortis autem diem, præter expectationem venturū: semper vigilamus, ne dies illé nos opprimat impatriatos. Quòd si nos interim M A R G A R I T AE memoriam colere volumus (vt certè æternæ memoriæ consecrāda est ea, qua, post hominum memoriā, modis omnibus absolutior fœmina nulla visa est) primū, gratiam habeamus Deo opt. max. qui creaturam suam, tot gratiarum donis illustrauit: deinde gloriosas M A R G A R I T AE virtutes, omni studio, cura, industria, labo-

re denique imitemur: postremò, illius vestigiis inhæreamus, quam satis dignè laudari non posse, omnes fatemur. Etenim, perpetram maximas clarissimásque virtutes illustrium virorum prædicamus & extollimus, si virtutem ipsi contemnimus. Nam, non tum denique verè amantur, coluntur, ornantur virtute præstantes viri, quum mortuos illos lugemus: aut ipsorum fortiter ac præclarè & dicta & facta recitamus: set tū demum, quum eorum vestigiis insistentes, ad virtutem, ex qua laudem sunt immortalem consecuti, animum adiungimus.

F I N I S.

PERVDIRVM  
ALIQVOT, IN EANDEM RE  
ginam Epitaphia.

MATTHAEI PACI Iurisconsulti.



Vicunque hunc tumulum teris viator,  
Sub quo Margaridis Valesiae ossa  
Condi forte putas, procul recede :

Nam, non inuenies quod arbitraris.

Si nomen cupis, vniuersus orbis  
Hoc extollit, & vnicè celebrat:  
Nec sola hac regione continetur.

Si corpus faciemque forte cernis,  
Viuens illa nihil minus fuisse  
Dicta est, quam caro, quamque corpus ipsum.  
Cuius tu mage membra credidisses,  
Mentis organa, spiritu subiecta:  
Prudens vsque adeò, impudica fluxæ  
Carnis munia perdomare norat.

Siue optas animi facem videre,  
Erras: ille hominum choro, euolavit  
In cœlum, ad superos, suamque sedem.

Quod, si nosse velis beatorem  
Eius religionem, & instituta,  
Cum virtute simul fidèque iunctas:

sj Quicis

Quis erga superos flagravit olim:  
 Illius lege scripta, iudicabis,  
 Ipsam, fœmineum nihil docere.

## ALIVD, EIVSDEM.

Qui legis insignis titulos & scripta sepulchri,  
 Regia quo resident ossa sepulta loco,  
 Huc ades: & nostrum lachrymis comitare dolore:  
 Nam commune malum publica iusta decent.  
 MARGARIDIS fato, cōstās est fama, virorū  
 Myriadas plures, interiisse simul.  
 Hæc, variis pueros studiis formare solebat:  
 Dicitur & multos hæc aluiisse senes.  
 Atque laborantes magno complexa fauore,  
 Solari ægrotos nouerat, & miseros.  
 Doctis atque piis tutum præstabat asylum:  
 Hos, contra aduersi temporis arma, tegens.  
 Quicunque ingenij captu, quique arte valebat,  
 Auxiliatricem senserat esse suam.  
 Quumque sub extinto foret orba scientia fratre,  
 Hanc viuens, humeris sustulit illa, suis.  
 Solam oppressorum dixisses esse parentem:  
 Tanta erga cunctos vtilitate fuit.  
 Unicus hos omneis Reginæ contudit ictus:  
 Prostrati usque adeo seminecēsque iacent.

Stabat

*Stabat Alenconium cum maiestate Senatus;  
Ipsiis at leges, hac moriente, ruunt.  
Ergo, qui tanti casus grauitate mouentur:  
Testantur, quantum mors ea flenda venit.*

ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΒΑΣΙΑΕΩΣ  
ἀλελφίω μαργαρέται τεθηκῆσαι, ἡλικιός  
γετύλος οἰάζος.

Ἐνθαδέρθιστος ἔχεται ἀδίσκυματος ὁ παραδίπτα  
τύπλε. Θέλεις γνῶναι, εἴλαντα λεξάρμανος;  
Ἐσιλόγυς θνομωρός, ἐστισήμης ἀματάσσης,  
Πλούσιος ἄριμαλορή φύσις εἰργάσσατο.  
Οὐδὲ εἴκε θανάτῳ, θεὸς οὐνεια εἰνόνι θνητῷ  
Δικτύης χάριτος θηκε Φαφνοτάτῳ.

Εἰς τὰ αὐτὰ.

Οὐρας ὁ τᾶς ἀνάτυνος θνομωρός τε κύλακτη  
Οὐκέτε τῇ θητῇ καὶ θεται σὲ κόντη,  
Μηκέτε ὀφόμλυνοι ἐλαίζετε τόνδι ἐσικέρφ  
καὶ ἐυπαρέσσαρκι σώματα θύμισσι  
ΑΛΛ' ὑμεῖς γε Διδιλασκεῖτε ὡς ἐτυμάνισηρότε  
Αἴξιοι δυκινέσμεροι θαυμασίωρ μεγάλωρ.  
Τοῖοι μὲν οἱ πρατέεις ιψικέλιοι. οὐ Φέρεις ιόσμοι  
Ηρπασει ἀθάνατος, ὡς πόλον ἀγλασίον.

EPITAPHIA.  
PETRI MIRARII  
Dialogus.

Regina Nauarre & Poeta,  
interlocutores.

- Reg. Quid cinerem extinx̄tū, seu vanā pulueris vmbra,  
Carmine funesto sollicitare iuuat?
- Poet Est nostro referenda sono tua gloria, Princeps  
Digna Deo:laudes dissimulare nephias.
- R. Siccine me vates celebrant, iam putre cadauer?  
Nil opus est ista sedulitate mibi.
- P. O Regina potens, vatum decus omne, Camoenis  
(Deseris heu terras) quid superesse putas?
- R. Quos decorant Musæ mortali semine natos,  
Hos cum carminibus mollior aura rapit.
- P. Cælo Musa beat:gravis hæc sententia doctis:  
Non ejt æternū, quidquid honore caret.
- R. Semper ab insigni descendit gloria cælo  
Mentibus humanis:cætera morte cadunt.
- P. Ne pudeat monstrare viam Regina petentis:  
Quæ te sublimem iam super astra ferat.
- R. Gratia sola Dei, meritis indebita nostris:  
Efficit vt tutum mens graderetur iter.
- P. Adfuit alma fides comitata sororibus illis:  
Prima trium,iunxit pectora nostra Deo.

Access

- P. Accessere nouæ diuina Volumina legis?  
 R. Hæc studio summo voluere cura fuit.  
 P. Dic Dea, quæ sint hæc & commoda quanta secuta?  
 R. Sponte mibi supera Christus ab arce venit.  
 P. AEterno genitore satus, quæ præmia donat?  
 R. Ille suis vitam, sed sine morte, parat.  
 P. Quid cursus hominum vitæ? quid denique vita?  
 R. Terra, vapor, ventus, bulla rotunda, nihil.

ANTONII ARMANDI  
MASSILIENSIS.

In tenebris post hac quis non offenderit istiss?  
 Quum tantum abstulerint in uida fata iubar?  
 Siccine mortales Nemesis furibunda fatigas?  
 Nec quicquam magnum linquis in orbe diu?  
 Sed tamen hoc poterit nostrum lenire dolorem:  
 Filia quod supereft matris imago Deæ.

R ENATI SANCTO MARE  
THANI.

Margaris occubuit: qua nil perfectius vñquam.  
 In toto summus fecerat orbe Deus.  
 Imò in mortali patuit Dea corpore: quid tu  
 Amplius ergo mori numina posse negas?  
 Iij CAR.

PETRI MARTELLI ALEN<sup>o</sup>  
 con. eiusdem Reginæ Secretarij.

Quām morbus fuerit grauis,  
 Quo vexata fuit Margaris : exitus  
 Ostendit satis omnibus.  
 Atqui, nec Medicis (sint licet optimi)  
 Mors hæc nota fuit prius.  
 Nec se crediderat tam breuiter mori:  
 Verūm, se incolumem suis,  
 Regina, impaudo pectore dixerat:  
 Quod factum à Domino puta.  
 Nam, cernens lachrymas immedicabiles,  
 Quas nos mittere cogeret  
 Paucos se ante dies accelerans dolor,  
 Nobis condoluit, neque  
 (Tanta eius pietas) ante suos tulit  
 Esse nullum miserum dies.

CAR. SANCTO MARTHA<sup>o</sup>  
 NI I. V. Doct.

## DIALOGVS.

Manes Reginæ, Viator.

M. Cur fles? V. Margaridē mors sustulit atra. M. quid  
 v. Gallia materiam nonne doloris habet? Cindes

Pupilli, afflitti, viduae, senioque grauati,

Doctrina exculti qui que fuere viri,

Nobilitas & inops, illam sensere patronam:

Perfugio orbata est nunc ea turba suo.

M. Illam regali set quis de stirpe crearat?

Illi quis dederat regia sceptram? V. Deus.

M. Viua coruscavit magnis virtutibus: vnde id?

V. Immensi credo dona fuisse Dei. Ceturum?

M. Quale habuit corpus? V. mortale. M. & quale fu-

V. Res nibilis: extremum puluis ad usque diem.

M. Spiritus & qualis? V. morti haud obnoxius ille est:

Népe, immortalis quum sit imago Dei. Cquae

M. Ergo, quae est hominis potior pars? V. Spiritus. M. Et  
Virtutum est sedes? V. Spiritus ille. M. Sat est.

Hæc ita quum constent, simul ipse fatebere, corpus

V. Instrumentum hominis: non tamen esse hominem.

Id fateor. M. Faber instrumentum perdidit, artē

Perdidit? atque faber desit esse? V. minus.

M. Vnde igitur posthac extincto corpore, dices

Extinctū esse hominem? v. sic Epicurus ait.

M. Insanit. v. Verū est. M. quare, tu cōprime fletum:

Quando vides, quod non mortua Margaris est.

Nonne creaturam potuit reuocare Creator?

Id, cur, qui contra non potes ire, doles?

Quod mortale fuit, Mors tollere debuit ipsa:

Aut erat cetero Mors caritura bono.

- V. Corpus abest: cælum concendit spiritus. M. id tu,  
 Margariden vobis eripuisse putas?  
 Scripta volant, benefacta manent, & gloria viuit:  
 Talia qui hinc abiens dona relinquit, abest?
- V. Atqui, Margaridi quæro persoluere iusta.
- M. Margaridis mores ergo imitere pios.  
 Nam, non defunctos, qui flet, qui luget, honorat:  
 Set, qui virtutes quas coluere, colit.

## ALIVD.

Abstulit hora vnam, quam non perfecerat hora:  
 Maius opus fuerit, si dabit hora parem.

## ALIVD.

Quid tu Margaridem defles, quasi mortua nūc sit?  
 Ast ne tu id dicas: non obiit, abiit.

## ALIVD.

A' curis quibus hic grauamur omnes,  
 Margaris modo liberata, dormit.  
 Iam non somnia, dormiens, set ipsum  
 Spiritu intuitur beata verum.

Ver

Vera gaudia, gloriāmque veram,  
 Et quæ vera Epicurus abnegat, nunc  
 Vinclis corporeis soluta, cernit.

Hæc te scire volo, Viator, vt tu  
 Sinas Margariden quiescere. ac iam  
 Quò negocia te vocant, abito.

## ALIVD.

Margaridi vocem morbus præcluserat: ullum  
 Nec verbum emisit, tres moribunda dies.  
 Proxima set morti, ter conclamauit I E S V S:  
 Deinde Animam summo reddidit ipsa Ioui.  
 Tres Charites flerunt: ter tres fleuere Sorores:  
 Ingemuit mundi pars, doluitque triplex.  
 Nempe ostendebat (quo non perfectior ullus  
 Est numerus) perfectam occubuisse, Trias.

## HVBERTI SVSSANNAE I

Margaridis Valeſæ tumulum ne quære, viator,  
 Corpora limosa sola teguntur humo.  
 Nil terrestre tulit secum, dum viueret, omni  
 Parte merus cœli spiritus illa fuit.  
 Hæc amita Henrici Regis, soror vnicæ Regis,  
 Vxor erat Regis, mater & alma Ducum.  
 Nam quum non caperet, quem rexerat, infimus Orbis:  
 Cælos æteino cum Ioue Diua colit.

HOSPESTAMETSI PROPERAS.  
ASTA AC PELLIGE

# CHRISTO SERVATORI SAC

PIETATI ET MEMORIA DIVAB MAR-  
GARITAE VALESIA FRANCISCVALE-  
SILI FRANCOR REGIS OPT PISS Q.  
PRINCIPIS OPTIMA PIIS Q SORORI  
REGINAE NAVARR ALENCONIOR ET  
BITVRIG DVCIS.  
ARMENIACOR RVTHENOR ET VNE  
LIOR COM.  
ET MORIBVS SANCTISS ET DOCTRINA  
SVPRA LEGITIMVM SEXVS SVI MO-  
REM AC MODVM PRAESTANTISSIMA E.  
Q VAE CHARIS FRATRI DVLCISS Q.  
DVOB NEPOTIBVS NON LONGVM SV-  
PERESSE SVSTINENS MARITO CON-  
CORDISS FILIAQ DILECTA SVPERST  
OBIIT XII KALEN IANVAR ANNABOR  
BE RESTITV TO M XLIX CVM VIXIS  
SET ANN LIX P M.  
EI IPSI EIVS Q SANCTISSIMIS DIIS  
MANIB MANVS INGENIAQ PIORVM  
AC DOCTORVM POSTERVM POSVER  
DICAR VNT HOC PVBL TESTIMONIVM  
AC MONIMENTVM.  
QB MERITVM INSIGNIS EIVS NOBILI  
TATIS ERUDITIONIS ELOQ VII SAN  
CTITATIS ET FIDEI CAETER Q VIRTU  
TVM BENEMER DE SE OMNIB Q BONIS  
REGINAE.  
AD PERFEVAM MEMORIAM EORVM  
Q VAE PRIVATIM ET PVBLICE BENE  
GESSIT EORVM Q Q VAE CLAM PA  
LA MVE BONIS BENIGNE DEDIT FECIT  
DANDVM FACIVNDVM CVRAVIT.

HABES HOSPESTAMAE PRARTIVM GRAN  
TIAM PEISS REGINAE APIIS HABITAM  
NOSSER HANC SI PELLEGIS VALE  
AC PIETATEM COLE.


INSCRIBEBAT COMES ALSINOVS



## PRIVILEGII SVMMA.

**N**E quis temerè hanc funebrem orationem, à Carolo Sanctomartha-  
no. I. V. D. in obitum incomparabi-  
lis Margaritæ, Reginæ Nauar. cōscriptam,  
in ditione Franciæ intra sexennium, autho-  
re inscio ac inuito, aut eo cui imprimēdam  
dederit (dedit autē Reginaldo Calderio)  
rursus typis excudat, excudi iubeat, aut  
alibi excusam vendat, regio diplomate ipsi  
authori concessa, cautum est. xvij. Calend.  
Maij. Anno salutis restitutæ. M. D. L.

De La



Buy

P.

C

